GUILELMUS UHLMANN

DE SEX. PROPERTI GENERE DICENDI

DE SEX. PROPERTI GENERE DICENDI

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE MONASTERIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS UHLMANN
SUSATENSIS GUESTFALUS.



TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MDCCCCIX.

CONSENSU ET AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORUM COMMENTATIONEM TYPIS EXPRESSAM ESSE TESTATUR

IOSTES
ORDINIS PHILOSOPHORUM H. A. DECANUS.

AD ORDINEM PHILOSOPHORUM DE COMPROBANDA DISSERTATIONE RETTULIT

P. E. SONNENBURG, P. P. O.

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE XIV. M. DECEMBRIS A. MCMVIII.

PETRO ERNESTO SONNENBURG
GUILELMO KROLL
LUDOVICO RADERMACHER

SACRUM.

Rerum dispositio.

Properti carmina quisquis perlegerit, mirabitur summam huius proetae in dictione, in grammatica audaciam et intelleget, quam opus sit elocutioni eius explorandae operam dare (Lachmann ad Lucr. V 1006: ... Propertium ... novatorem fuisse ...; certe nemo ante hunc longius ab antiqua castitate sermonis recessit). Quod quamvis viri docti iam fecerint, tamen complures mihi quaestiones exstiterunt, de quibus illi aut omnino non aut parum dixisse mihi viderentur. Itaque in hoc opusculo conficiendo primum id mihi proposui, ut omnia, quae de dictione Propertiana iam scripta sunt, breviter congererem, sed ita, ut illa, quae a Ciceronis in orationibus, scriptis philosophicis et rhetoricis usu non abhorrerent — nisi eadem nimis recedunt a dictione poetarum — omittere posse mihi viderer, et ea, quae apud omnes fere poetas invenirentur, breviter tantum commemorarem. Pluribus autem verbis exsequar, quantopere et quibus in rebus aut sua ire via, qua eum fortasse interdum secuti sunt posteriores, aut vulgarem et priscam dictionem sequi mihi videatur Propertius.[1]) Atque id quidem non sine iusta causa; nam vulgaris sermonis vestigia invenit apud Propertium iam Heymannus (In Propertium quaestiones grammaticae et orthographicae, diss. Hal. 1883, p. 27, 28, 35—38), qui de eiusmodi rebus in verborum flexione conspicuis dixit. Deinde Wölfflini[2]) verbis adductus sum, ut iure hoc facere mihi viderer; nam ut apud Catullum, ita eodem certe iure apud Propertium propter ipsum eius poesis genus vulgaris sermonis vestigia esse suspicari licet. Saepius autem propter metrum coguntur poetae voces et structuras petere e sermone vulgari et prisco, quod quantopere factum sit Bednara (De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones. Catullus et Ovidius quibus rationibus linguam metro dactylico accomodaverint. Lips. 1906; cf. p. 102, 1; 108) egregie demonstravit; cuius rei in Propertianis quoque nonnullis locis rationem habere studui. Quibus rebus ad Properti artem rectius existimandam ut aliquantulum

---

[1]) Quod ut facilius perspiciatur, in indice notabo litteris cursivis qu. d. illa, quae vulgaris sermonis esse videntur aut e vulgari sermone in aliorum quoque poetarum dictionem transierunt.

[2]) Wölfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein, Philol. B. 34, 1876 p. 137: ... vielmehr finden wir in der Poesie wie in der Prosa gewisse Gattungen, welche geflissentlich viele volkstümliche Elemente aufgenommen haben. ... Die Komödie, ... die Satire, endlich die stark realistische Erotik eines Catull und Martial. ... hier und da wird auch die Nachlässigkeit vulgäre Wendungen haben durchschlüpfen lassen ... endlich, ... wo etwas mit einem gewissen Humor dargestellt werden soll.

conferrem si mihi contigerit, satis profecisse mihi videor non ignorans me rem omnibus partibus absolvere non potuisse.

Praeter editiones[1]) hi libri[2]) spectant ad totam commentationem:

Schmalz, Lateinische Grammatik, Syntax und Stilistik (I. Mueller, Handbuch II 2^3, München 1900), quem librum in rerum dispositione fere secutus sum.

Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache ^{2} 1878.

Schäfler, Die sogen. syntaktischen Gräcismen bei den augusteischen Dichtern. Diss. München 1884.

Wagner, De syntaxi Propertiana. Progr. Passau 1888.

Leky, De syntaxi Apuleiana. Diss. Monast. 1908.

In prisco et vulgari sermone demonstrando praeter Schmalzium secutus sum libros hos: Holtze, Syntaxis priscorum script. Lat. Lips. I 1861; II 1862.

Lindsay, Syntax of Plautus. Oxf. 1907.

Denique profero:

Merguet, Handlexikon zu Cicero, Leipz. 1905, et Lexikon zu den philosophischen Schriften Ciceros, Jena 1887, quos libros inspexi, si interdum non tam facile discerni poterat, quae abhorrerent a Ciceronis dictione.

Cetera, quae aut ad Properti aut aliorum sermonem pertinent, singulis locis attuli.

Atque ad postremum hic addo locos Propertianos me attulisse ex editione Baehrensi, plerumque autem satis me habuisse aliquot exemplis allatis illustrare usum Propertianum.

---

[1]) Maximo cum fructu adhibui Rothsteini editionem (Berlin 1898). Praeterea his usus sum: J. Broukhusi, Amsterd. 1727; Hertzbergi, Halis B. I, II 1843; III 1845; Aemilii Baehrens, Lipsiae 1880; Joannis S. Phillimore, Oxonii.

[2]) Quod scripsit Edwards (Die syntaktischen Gräcismen bei Properz, Genf 1889), quamvis operam dederim, adipisci non potui.

I. De partibus sententiae.

a) De praedicato et subiecto.

1. In sermone familiari saepius verba finita omittuntur (cf. Schmalz p. 215, 9), praecipue a Plauto, Terentio, Catone, cum quibus non raro facit Propertius. Atque primum quidem locum habet ellipsis verborum dicendi et sentiendi: Prop. I 5, 17: et quaecumque voles (dicere), fugient tibi verba querenti. I 13, 13: haec ego non rumore malo (dico), vidi ego. I 16, 45: haec ille et si quae ...; II 29, 11 ... at alter, intereat (inquit) ... III 3, 51: talia Calliope ...; III 9, 49: palatia ordiar (canere). IV 1, 119: hactenus historiae; IV 9, 51: talibus Alcides; at talibus alma sacerdos. IV 9, 61: sic anus. — II 24, 10: num tibi causa levis (esse videtur)? De comicorum usu v. Draeger I² 195 sq.; cf. Leky p. 6, qui praeter Apuleianos locos multa profert e priscis. cf. Hauler ad Phorm. v. 80. Brix ad Trin. 811. Holtze II 21. De Ciceronis usu v. Madvig ad de fin. I 9. Stinner, de eo, quo Cicero in epistolis usus est, sermone III, Oppeln 1864 p. 19 sq. Draeger I² 196 § 116.

Verbum faciendi vel agendi omittitur: Prop. II 1. 45: nos contra (,facimus' vel ,agimus'); III 24, 11: haec ego (feci) ...; III 12, 37: nec frustra ...; IV 6, 65: di melius (faciant)! IV 8, 20: si sine me, famae non sine labe meae (factum est)! IV 9, 13: nec sine teste deo (hoc fecit); fort. III 22 38.[1]) cf. Leky p. 7 de priscis et Apuleio. De comicorum et Ciceronis in epp. usu Draeger I² 196, 199 (ut fam. 9, 7; 9, 26, 3; ad Att. 13, 29). Degenhart, de auct. belli Hisp. elocutione et fide hist., Würzb. 1877, p. 11. De aliorum script. usu v. Reisig-Haase III 831 N 610.

Saepius autem in sermone familiari, quod praecipue comicorum proprium est, apud verba auxiliaria „volo, soleo, possum, nequeo" tale verbum mente auditur; eundem usum habet Propertius his locis: infin. verbi dicendi verbo volendi non additur I 5, 17 (v. supra). — I 13, 1: quod saepe soles (facere) ...; cui addo I 6, 9: illa meam se denegat, illa minatur, quae solet (facere) ... amica ...; nam relativum „quae" ad utrumque mihi spectare videtur. IV 8, 70: Lygdame, nil potui. III 9, 5: quod nequeas (facere) ... Fortasse hic addere licet hunc locum: III 4, 1: arma Caesar meditatur

---

[1]) cf. p. 28 et p. 54.

ad Indos. Simile Ciceroni epistulas scribenti in verbo cogitandi usitatum: Merguet quidem haec habet exempla: fam. VII 4, Att. II 13, 1, V 3, 3, 15. 3. At insolentiores hi loci esse mihi videntur: III 7, 47: non tulit haec Paetus, audire . . . et . . . laedere . . ., sed (tulit = maluit) Chio thalamo (‚agere' vel ‚vivere') . . . et fultum (habere) . . . caput. III 22, 35: nec valuit curvare Iuno aut . . . dedecorare . . .; arboreasque cruces (‚valuit' vel ‚potuit') Sinis (facere) . . . De priscorum et Apulei usu v. Leky p. 7; cf. Lor. ad Mil. 220; 262; Brix ad Capt. 238.

Verborum oriendi et movendi ellipsis statuenda est: Prop. II 6, 16: his Troiana vides funera principiis (orta esse); cf. Rothstein IV 1, 31: hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni. — II 27, 9: praeterea (‚flemus' e v. 7) domibus flammam domibusque ruinas („venturas esse"). II 32, 23: nuper enim de te rumor ad auris (venit) . . .; III 5, 30: unde perennis aqua (veniat). III 15, 35: sera, tamen pietas (venit). III 18, 21: huc primus et ultimus ordo (veniet). IV 6. 23: hinc Augusta ratis (ibat). Audacius hoc scriptum est: IV 3, 51: nam mihi quo (fugere licet)? Locos similes e Terentio profert Leky p. 7, idem ex Apuleio. Draeger I² de Terentii usu p. 196; de crebro Ciceronis in epp. eiusmodi usu p. 200.

Iam vero aliud verbum supplendum est: III 18, 21: Sed tamen hoc omnes (patiemur), huc . . .

Saepius praedicatum supplendum est e respondente sententiae parte aut antecedente aut sequente (cf. Draeger I² 207 sq.); atque cum apud ipsum Ciceronem non raro omittatur eadem forma praedicati, e Propertio exempla afferre mihi opus esse non videtur. Sed incipiamus ab ellipsi personali, quae vocatur (cf. Draeger I² 215, 1): Prop. I 20, 13: ne tibi sint duri montes et saxa . . ., neque (sit) adire . . .; (cf. III 3, 41) — II 6, 9: me facies . . ., me nomina laedunt, me soror (laedit) et cum qua dormit amica simul. III 12, 24: non illi nocuere morae. . . . (postea a versu 29.—36. forma ‚nocuit' animo poetae obversatur) mugisse iuvencos, et . . . fugisse. . . . — Idem saepius in Cic. epp. invenitur, nonnumquam etiam in orationibus et eius de philosophia libris. cf. Draeger, qui praeterea multa exempla ex inferioris aetatis scriptoribus affert.

Sed transeamus ad ellipsin temporalem, si dicere hoc licet, quam Propertius habet his fere locis: IV 11, 79: et si quid doliturus eris, sine testibus illis (doleas). — Atque liberoris usus exempla sunt: II 34, 93: (notior est v. 88) . . . Cynthia quin etiam (nota erit); (cf. Rothstein) et II 9, 43: te nihil in vita nobis acceptius umquam (fuisse): nunc quoque (accepta eris), quamvis . . . Insolentiores sunt hi loci: II 13, 37: nec minus . . . notescet fama . . ., quam fuerant (nota) busta. — II 10, 7: aetas prima canat Veneres extrema tumultus; pro his: „aetas prima cecinit (sive cecinerit) veneres, extrema canat tumultus". Itaque primum ita habet Propertius illum usum, ut ex altero tempore in sententia sequenti alterum tempus supplendum sit; id autem insolentius est, quod prior sententia habet id tempus, quod desideratur in posteriore (cf. Rothstein). De eo usu, ellipsi proxime cognato, quo

e verbo quodam alterum verbum, cui inest similis notio, suppletur, dicam infra (p. 94).

Ad ellipsin verbi ,esse' ut transeamus, praesertim sermonis familiaris proprium est verbum ,esse' omittere apud vocabula „potis, pote", quod invenitur saepe apud poetas comicos et apud nonnullos alios. cf. Schmalz p. 215, 10, qui exempla profert e Catullo, Cic. epp. (Att. 4, 13, 2), auct. bell. Afr. (54, 4); de comicis verba facit Draeger I² 193; de comicorum et Apulei usu v. Leky p. 7; cf. Brix ad Trin. 352; Lor. ad Pseud. 229; de Lucreti usu v. Holtze, syntaxis Lucret. lin., Lips. 1886, p. 115; de Catulli usu: Winter, de ellipsi verbi esse apud Catullum, Vergilium, Ovidium, Statium, Iuvenalem obvia capp. II, diss. Marp. 1907, p. 7 (quod opus in tractanda ellipsi verbi esse in dispositione fere secutus sum). E Propertio notanda profero: II 1, 46: qua pote quisque, in ea conterat arte diem. III 7, 9: et mater non . . . dare . . . nec pote . . . humare . . .

Sed iam transgrediamur ad reliquum ellipsis verbi „esse" usum, quae non tam saepe invenitur, quam plurimi saepe putaverunt (cf. Schmalz p. 215, 10). De comicorum et Apulei usu cf. Leky p. 8. Atque primum quidem dicam de ellipsi indicativi verbi „esse". Ellipsis verborum „est, sunt" etiam apud Ciceronem invenitur, quamquam praesertim in sententiis subordinatis non gravibus ellipsibus utitur liberior usus incipit ab Augusteae aetatis poetis, quos ut in aliis rebus haud scio an commoverit poetarum Graecorum imitatio, etsi initium huius usus Romanum est. Ac saepius formas „est, sunt" Propertium omittere in variis formulis consentaneum est, ut: II 1, 47: laus in amore mori, laus altera si. . . . I 13, 29: nec mirum. . . . II 8, 40: mirum, si . . .; IV 4, 39: quid mirum . . .; 41; quae formula saepius est apud; Plaut., Cat., Ovid., non apud Verg. Iuven. Statium. cf. Winter p. 7sq. IV 4, 84: nec mora, . . .; IV 8, 51: nec mora, . . .; quae formula invenitur apud Verg., Ovid., Statium, non ap. Catullum et Iuvenalem. cf. Winter p. 8. II 6, 25: . . . quid opus . . .? IV 10, 35: forti melius . . . II 12, 19: . . . satius temptare . . . II 10, 1: sed tempus lustrare . . . et . . . dare tempus . . .; eadem ellipsi usi sunt Catullus (62, 3), Vergilius quater in Georg., duob. locis Ovidius, semel Statius (Theb. 2, 403); cf. Winter p. 8. III 15, 21: tibi turpe . . .; IV 6, 45: turpe Latinis . . .; quae formulae petitae videntur e sermone familiari. cf. Schmalz p. 215, 10 a. De reliqua formarum ,est, sunt' ellipsi non iam dicam, quia usitatissima est omnibus temporibus, praesertim si part. perf. pass. scriptum est.

Aliae autem formae verbi ,esse' omittuntur in sententiis exclamativis, atque omittitur forma „es": I 15, 27: audax a nimium (es) . . .; II 34, 71: felix, qui mercaris . . .; III 7, 1: ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae! (cf. Winter p. 9—11). Idem observatur in sententiis interrogativis (cf. Winter p. 11—15); atque desideratur forma „es": I 8, 1: tune igitur demens . . .? II 28, 12: aut ausa negare . . .? forma „estis": III 1, 6: quove pede ingressi (estis)? (cf. Stat. Theb. I 445); formam „es" in sent. int. omisere Vergilius duobus locis, Iuv., Statius.

Saepe autem praedicatum e forma iuxta posita supplendum est (cf. Winter p. 15—22), atque eadem forma supplenda est: IV 1, 108, qui usus saepius invenitur apud alios poetas. Alia forma desideratur, atque statuenda est ellipsis personalis: II 14, 23: haec mihi potior victoria (erit), haec spolia, ... erunt. Liberior est hic usus, quia ‚erit' e forma sequente suppletur. II 20, 26: eram ... (erat). — ellipsis temporalis: I 19, 18: fuerit (v. 15)... gratior, et... futura (est). II 20, 34: ultima talis erit quae mea prima fides (erat). I 15, 32: ... sis ... (eris). — ellipsis et personalis et temporalis statuenda est: II 15, 36: essem ego, quod nunc tu (es), — ubi praeterea alius modus desideratur ut loco (I 15, 32) supra allato. In rectis denique sententiis omittuntur verbi „esse“ formae hae (cf. Winter p. 22—31): — sum: II 22, 34: hic ego Pelides, hic ferus Hector ego. II 29, 33; IV 2, 75, quae forma omittitur a Verg. et Ovidio, raro a Iuven. et Statio. — es: II 6, 19: tu criminis auctor; cf. Verg. ecl. III 109; saepe invenitur ap. Ovid., Stat. in silv.; in Thebaide uno loco I 705. — erat — erant: III 16, 1: nox media; IV 8, 57: Lygdamus ad cyathos, vitrique supellex et ... II 9, 18; IV 1, 34: et, qui nunc nulli (sunt), maxima turba Gabi (erant). cf. Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. et fide hist., Würzb. 1877, p. 11, qui eas formas rarissime apud elegiarum scriptores omitti dicit. Winter locos profert e Statio et Iuvenali; inter solutae orationis scriptores saepius inveniri hanc ellipsin apud Curtium affirmat Draeger I² 204. — eram: IV 2, 29: ... messor eram. sobrius ad lites (eram) ... — erit: II 26, 53: nobis mitescet Scylla, nec ... vorans (erit) Charybdis. II 26, 45; III 4, 3; III 16, 8; III 17, 37 (cf. ad hunc l. Rothsteini adn. I 15, 32). — erunt: II 28, 26: illa ... fata beata. Formam „erit“ omittit Statius Theb. 3, 481; omissum „erunt“ Winter non invenisse videtur. — eris: II 18, 30: mihi poteris formosa videri; mi formosa satis (eris), si modo saepe venis. cf. Stat. silv. III 3, 197. — fuit: II 20, 23: interea nobis non umquam ianua mollis (fuit), non umquam ... copia facta ...; ap. Verg. Aen. 2, 554; saepe apud Ovidium, Stat. Theb. 3, 188. Praeterea ellipsis statuenda est in enumeratione et descriptione (cf. Winter p. 37—40): III 2, 13: at Musae comites et carmina cara, et defessa ... Calliopea ... (cf. Stat. silv. III 5. 85). I 11, 23: tu mihi ... domus, tu ... parentes, omnia tu ...; III 13, 49: auro pulsa fides, auro venalia iura, aurum lex sequitur, mox sine lege pudor. De tali comicorum usu v. Hauler ad Phorm. 80. Singularis est ellipsis verbi „esse“ apud participium perf. pass. et verb. depon. (Winter p. 31—33) et apud gerundium in his exemplis: III 1, 6: quove pede ingressi (estis)? cf. Verg. Aen. I 202. II 4, 15: nequiquam perfusa (erant) unguenta ..., ibat et ...; III 13, 62: Ilia... verax Maenas habenda (fuit). Indicativus denique verbi „esse“ in sententiis secundariis rarissime omittitur apud Ciceronem (cf. Schmalz p. 215, 10a; Draeger I² 197). Prop.: II 2, 9: qualis et Ischomache ...; II 9, 36: sive ea causa gravis, sive ea causa levis. III 9, 18: est quibus in celeres gloria nata pedes ([est], nam etiam in

versu antecedente: „est quibus ... concurrit" indicativus est). III 5, 47: vos, quibus arma grata magis....

Brevior est disputatio de ellipsi coniunctivi verbi „esse".[1]) Atque invenitur in sententiis rectis: I 15, 29: multa prius (sint): labentur... et duxerit, quam... mutetur. II 7, 13: unde mihi (esset)... praebere? I 11, 21: an mihi non maior carae custodia matris (sis)? In sententiis obliquis haec occurrunt exempla:

α) in sententiis interrogativis (ubi apud Cic. quoque inveniri videtur haec ellipsis in epp. [ut fam. 3, 11, 2] et ap. Ovidium [ut met. 3, 722]) desunt formae: sim: I 22, 1: qualis et unde genus (sim), qui sint... Penates, quaeris... (cf. p. 14). — sit: II 27, 11: solus amans novit, quando periturus (sit)... — sint: III 5, 41: ... perdiscere (25)..., quis ... qua ... unde ... sit ... cur ... etc. ... sub terris sint iura ..., si ... aut Alcmaeoniae furiae (sint) aut ieiunia, num rota, num scopuli, num sitis (sint) inter aquas, ... id. fort. *in* v. 44.

β) in sententia concessiva: I 8, 37: quamvis magna daret, quamvis maiora daturus (esset), non tamen illa fugit ...; de simili Taciti usu v. Draeger I² 205b.

Denique de ellipsi infinitivi[2]) dicendum est; atque infinitivus praesentis omittitur his locis: „esse" e forma antecedente aut sequente supplendum est: III 20, 27: illi sint quicumque solent (esse)... dolores. IV 7, 74: potuit, nec tibi avara fuit. II 32, 22; — infin. „esse" omittitur in accusativo cum infinitivo (quamquam saepe etiam acc. c. part. statui potest; v. infra de participio p. 54): I 6, 9: illa meam mihi iam se denegat. (at cf. p. 28): I 8, 35; I 19, 16; II 26, 51; II 28, 12; III 13, 66; quae ellipsis raro apud ipsum Ciceronem occurrit (cf. Draeger I² 196 § 116). — γ) in nominativo c. inf.: I 8, 3: tibi tanti iste videtur...? II 26, 22 saepiusque.

Praeterea infinitivus perfecti act. desideratur: *II* 9, 43: sidera sunt testes (41) ... te nihil nobis acceptius umquam (fuisse). III 17, 27; fort. IV 7, 27, quem infin. numquam a Cicerone et Caesare omitti affirmat Draeger I² 205c, saepius a Livio, Tacito, Curtio, Val. Max., Suet.; sed cf. Cic. fam. IX 19, 1 (v. Stinner, de eo, quo Cicero in epp. usus est, sermone III, Oppeln 1864, p. 19); — Omnino vulgarem ellipsis naturam explicat Ziemer, Junggram. Streifzüge im Gebiete der Syntax, Colberg 1882 p. 47.

2. Cum sermonis familiaris usu id quoque mihi congruere videtur, quod Propertius contra leges rationis duobus locis anacolutho quodam subiectum significat casu obliquo. De aliorum scriptorum usu v. Schmalz p. 216. 12 adn.; Leky: p. 8; Holtze I 28sq. — II 23, 15: cui saepe ... conteritur Via ... nec sinit esse moram ...; III 20, 27:

---

[1]) Ellipsin coni. tert. pers. in sent. exclam. adhibitam omitto, quia omnibus aetatibus invenitur (cf. Schmalz p. 216b).

[2]) Omitto ellipsin verbi esse apud partic. fut. act. — gerund. — part. perf. pass., quae, quamquam praecipue apud Terentium, Cic. epp., Nep., Vitruv. invenitur, tamen omnibus aetatibus occurrit; saepe etiam apud Prop. ut I 9, 1; II 19, 28; II 20, 17; — IV 1, 50; — II 7, 1; II 8, 5; 8, 31; cf. Schmalz p. 216b adn.

illi sint... dolores, et... praebeat...; (Ax, de anacoluthis Plautinis Terentianisque, diss. Monast. 1908, p. 20. De simili Catulli usu disputat: Reeck, Beiträge zur Syntax des Catull, Progr. Bromberg 1889, p. 9. cf. Cat. II 3 sq.)

3. Saepe in sermone vulgari nominativi pronominum personalium adduntur verbis per abundantiam, quamquam nullam habent vim augendi. cf. Schmalz p. 216/17, 13; cf. Leky p. 9; de Petroni usu: Segebade, observ. gramm. et crit. in Petr., Halle 1880, p. 8. Idem usus saepissime observatur apud Propertium, ut: I 1, 23: tunc ego crediderim; 2, 25: non ego nunc vereor; I 3, 11: hanc ego conor adire; I 2, 31: tu semper eris...; I 4, 5: tu licet... et tu referas...; 5, 27; 6, 1; 11; 29; I 15, 35; 41; I 7, 5: nos agitamus; 7, 22; 8, 1; 13; 39; 42; 10, 15. Affero denique nonnullos locos, quibus imperativo addit Propertius pronomen (de quo usu imprimis comicorum proprio v. Draeger I² 324 § 153, 1): I 1, 31: vos remanete; I 1, 19; 25; I, 5, 1: invide, tu tandem compesce; I 6, 19: tu patrui meritas conare anteire securis. I 7, 25: tu cave...; 11, 27; saepissimeque.

4. Subiectum primae vel alterius personae aliud quoque nomen esse potest, ut ap. Prop. II 1, 12: invenio causas poeta; II 14, 27: pono Propertius; II 20, 29: vexetis Erinyes: IV 1, 87: Troia cades et Troica Roma resurges. IV 2, 19 mendax fama noces. cf. Schmalz p. 217, 14; Draeger I² 66 § 26 multos locos e Livio et posterioribus profert. — Interdum is qui loquitur de se ipso tertia dicit persona, quod praecipue fieri solet in epistulis (huc spectat Prop. IV 3, 1: Arethusa mittit...), in titulis sepulcralibus atque locis neglegenter scriptis aut denique interdum iis, quibus imitantur auctores linguam Graecam. cf. Schmalz p. 217, 14 adn. Propertius duobus locis in oratione sollemni habet hunc usum: IV 11, 13: immitis habuit Cornelia Parcas. 43: non fuit... Cornelia damnum.

5. Apud certae cuiusdam professionis (ut Cato, Varr. Plin.) scriptores saepius invenitur tertia sing. pers. subiecto non addito (cf. Schmalz p. 218 adn. 2), quod certe incuria quadam dicendi ortum est. Similiter saepius scribit Propertius, si loquitur de aemulo aut de virgine amata, ut: I 8, 37: quamvis magna daret, quamvis maiora daturus (sc. aemulus, qui antea nondum nominatur). id. II 24, 23: contendat mecum..., contendat — discat — pugnet — mala ferat — ebibat — et numquam deneget...; II 14, 13: quaerit... (sc. Cynthia)... nec potest...; ead.: III 16, 23: afferet huc unguenta... sertisque ornabit... (sc. Cynthia; [huc tradunt codd. O;[1]) haec, quam scripturam

---

[1]) In significandis codd. secutus sum Phillimori editionem: N = cod. Neapol.; A = Vossianus; F = Florent.; L = Holkhamic.; D = Daventr.; V = Ottobon. — Vatic.

O = codicum consensus:
NFADV ab initio ad el. II 1, 63;
NFDV ab el. II 1, 63 ad II 21, 3;
NFLDV ab el. II 21, 3 ad finem

N'F'L'D'V' = primae manus script., quam eadem manus post mutavit; n f l d v = alterae manus in his codd., cum in margine tum ad textum corrigendum adhibitae (v a libro N aut a libro illi affini marginalia petivit). ς = codd. deteriores.

praeferunt Bährens et Rothstein, e coniectura Guyeti scribitur]). — C. F. W. Müller, Syntax des Nominativs u. Accusativs im Latein. Leipzig 1908, p. 1.

Contra autem a priscis et posterioris aetatis scriptoribus saepius erba impersonalia pro personalibus usurpantur. cf. Schmalz p. 218. 15 adn. 3; Leky p. 9, qui compluribus exemplis comicorum poetarum usum illustrat ac conferre iubet Lorenz ad Most. 1165; Holtze I 22; — Prop. IV 1, 74: poscis verba pigenda; IV 4, 36: valeat probro Vesta pudenda meo; IV 8, 26: vincet barba pudenda; apud. Cic. solum gerundium, non gerundivum invenitur, ut Brut. 188; cf. Merguet Lex. Gerundivum verbi pudendi interdum apud alios quoque poetas invenitur, cf. Draeger I^2 167; Preising, de L. Annaei Senecae poetae tragici casuum usu ratione potissimum habita Vergilii, Ovidii, Lucani. diss. Monast. 1891, p. 3, qui eiusmodi locos e Seneca profert atque affirmat idem saepius inveniri apud Ovidium, raro apud Vergilium. cf. Hau, de casuum usu Ovidiano, Monast. 1884 p. 7. C. F. W. Müller, Synt. p. 131. — Prop. IV 8, 52: . . . furibunda decens; quod participium saepius apud Ovidium et posteriores invenitur. At participium „licens" (Prop. IV 1, 26: unde licens Fabius sacra Lupercus habet) nisi apud posteriores non invenitur. cf. Sen. ben. 7, 7, 3; — IV 1, 98: fides contigit. Insolentior autem est hic locus: II 1, 41: nec mea conveniunt duro praecordia versu . . . condere . . . (pro his: meis convenit praecordiis; cf. Rothstein).

6. Praeterea tertia pluralis numeri persona saepius invenitur subiecto non addito, ubi supplemus „homines"; apud Ciceronem et optimos scriptores ita usurpantur verba: „dicunt, ferunt, narrant, tradunt" (cf. Schmalz p. 218, 16); Propertius autem liberiorem habet usum, ut: I 7, 11: me laudent; II 20, 9: me licet astringant; II 26, 21: nunc admirentur; III 9, 46: me deum clament et mihi sacra ferant; IV 1, 19: celebrāre . . .; 28: miscebant . . .; 81: fecere . . .; IV 6, 45: audent . . .

7. Nonnumquam Prop. dictionem vulgarem secutus subiectum vel obiectum repetit ac scribit pronomina demonstrativa. — cf. Schmalz p. 218, 17, qui nonnulla profert exempla (Plaut. Poen. 1069: pater tuos is erat frater patruelis meus; Vitr. 157, 9; Cic. fam. 7, 26, 2). Draeger I^2 83 habet exempla e Cic. epp. et Livio; cf. Leky p. 10 de Apulei et priscorum usu; Brix ad Trin. 328; Lor. ad Pseud. 506; Holtze I 357, 12; Lindsay p. 47; cf. praeterea: Landgraf, Bemerk. zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros u. an Cicero, in Bl. f. bayr. Gymnasialsw. 1880, 16 p. 323 sq. Kraut, Über das vulgäre Element in d. Sprache des Sallust, Blaubeuren 1881, p. 10. Aeque atque illi Propertius scribit: IV 7, 75: deliciaeque meae Latris, cui . . ., ne speculum porrigat illa . . .; IV 2, 45: nec flos ullus hiat pratis, quin ille . . . langueat. — Praeterea in posteriore sententia prioris sententiae coordinatae subi. repetit pleonastice, ut: II 29, 15: quae cum solverit . . . atque . . . illa moverit. I 15, 11: illa sederat . . . et dolebat illa . . .; I 1, 11: nam modo amens errabat . . ., ibat et ille . . ., ille etiam . . . ingemuit . . .; — Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 22 (quocum haud scio an comparare liceat

illum usum Propertianum, quo in sententia secundaria sequente sine iusta causa repetit pronomine subiectum sententiae primariae, ut: I 9, 23. Nullus Amor... praebuit..., ut non... presserit ille...; II 4, 17 saepiusque; aut Propertius in sententia obliqua antecedente et in sententia recta sequente exprimit, ut: I 16, 29: sit licet... patientior illa..., sit licet... durior, non tamen... illa poterit...). — Similiter Propertius subiectum non pronomine, sed altero nomine repetit: I 19, 7: illic... heros non potuit... immemor esse..., sed cupidus... Thessalus... venerat... Plane autem illis locis contrarius est ille pleonasmus, quo Propertius pronomini antecedenti postea appositione quadam addit nomen, velutsi postea demum ei in mentem veniat non satis perspicuum esse quid sit subiectum; idem in nostra lingua observamus, cum neglegentius narramus. — Prop. III 1, 33: nec non ille tui casus memorator, Homerus,... sensit...; III 15, 5: illa... imbuit, heu nullis capta Lycinna datis; III 19, 15: crimen et illa fuit,... Myrrha...; IV 10, 15: haec hodie tibi victima corruet, Acron. IV 9, 71: Sancte pater, salve,..., Sancte, velis... inesse. hunc, quoniam... sanxerat..., sic, Sanctum, Tatiae composuere Cures. — In sententia coordinata sequente idem fit: II 16, 53: ille solet punire..., quoniam flevit et ipse deus. — Neque omittere licet hunc locum, ubi similiter casus obliquus repetitur: II 21, 1: a quantum Panthi tibi pagina finxit, tantum illi Pantho ne sit amica Venus! — Ad totum hunc locum cf. Jahn-Kroll ad Cic. Brut. (1908) 106, qui de hoc usu disputans... das ist, inquit, aus der Umgangssprache entlehnt, die sich in der Deutlichkeit nie genug tun kann.

8. Praedicatum congruere debet cum subiecti genere, numero, casu; at saepe Propertius in numero peccat: II 4, 25: ego sum praemia; II 13, 25; tres sint pompa libelli; IV 4, 13: murus erant montes; II 25, 48: una sit femina multa mala; II 28, 5; I 11, 23; II 19, 10; III 1, 16; III 13, 27; IV 1, 10 et saepius.

9. Si compluribus subiectis unum additur praedicatum, Propertius poetarum more (cf. Schmalz p. 219, 19) singulari numero uti fere solet pro plurali. Qui singularis apud optimos quoque scriptores invenitur, si significare volunt alterius subiecti actionem ab altero disiungendam esse, quod apud Propertium quoque observamus. Saepius autem poetarum morem secutus aliis quoque locis utitur singulari numero pro plurali, ut II 2, 27; 6, 23; 9, 15; 20, 19; 25, 15; 46; cf. Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 30. Ita saepissime singularis numerus refertur ad proximum subiectum, ut I 17, 10; 18, 27; II 2, 5; 3, 9; 4, 7; 28, 5; 51; 53; (aliorum scriptorum exempla praebet Draeger I² 177, pauca ex ipso Cicerone, permulta e Livio). Uno autem loco Propertius, quo utriusque subiecti actio separatim intellegenda est, numero plurali uti videtur: II 22, 33: ille vel hic, classis poterant vel perdere muros (poterant N; poterat FLDV; unius codicis N lectio recta esse potest atque omnes fere editores probant, quia ceteri proxime inter se affines sunt. Sed rem decernere meum non esse puto). — Si plures personae subiecti locum tenent, similiter ad proximum subiectum refertur praedicati numerus: I 8, 31: ego... et... Roma dicitur. — Neque aliter

praedicati genus proximo subiecto aptum est: IV 1, 107; IV 6, 21; — Interdum numerus praedicati pendet e substantivo quodam, quod comparatur cum subiecto; qui usus invenitur apud Varronem, Sall., Nepot., Liv., Augusteae aetatis poetas, rarissime apud Cic., cf. Schmalz p. 219, 19 b; eundem habet Propertius his locis: II 18, 15: cui maiora gaudia quam luctus erat. II 3, 53: quem non lucra, magis Pero formosa coegit.

10. Priscorum praecipue scriptorum et illorum, qui eorum sermonem imitantur, proprium est synesi quadam uti in praedicato, cum substantivo collectivo addant praedicati numerum pluralem; quem usum nonnulli poetae receperunt, ut Catullus, Vergilius, Lygdamus, raro Horatius (ut sat. I 5, 29), nunquam Tibullus. cf. Schmalz p. 220, 20; Draeger I² p. 170; Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 31; Leky p. 11; Degenhart, de auct. belli Hispaniensis el. Würzb. 1877 p. 15; Overholthaus, syntaxis Catullianae capp. II, Gött. 1875, p. 17. — E Propertio huc adfero: III 13, 18: uxorum stat turba et certamen habent. — Tale exemplum apud Vergilium et Catullum quoque invenies, quia cum subiecto collectivo attributum pluralis numeri coniunctum est (cf. Schmalz p. 220, 20). — Ab his autem alienum habemus talem usum: Prop.: III 17, 28: tuum potant Naxia turba merum; cui exemplo adiungo hos locos dubios: II 13, 1: armantur Etrusca sagittis (DF; armatur NV, fortasse recte). Aeque res se habet III 14, 14: qualis ... turba ... lavantur; (lavantur LDV; lavatur FNv; v autem hausit e libro codici N affini; utrum rectum sit, non facile discerni potest; equidem praefero priorem lectionem).

11. Duobus locis apud Propertium praedicati numerus pendet a subiecti appositione (cf. Ziemer, Junggram. Streifzüge p. 70). — Prop. I 19, 13: illic formosae veniant chorus heroinae; II 29, 3: nescio quot pueri, turba minuta, venerat. Eundem usum habent Nep., Cic., Caes., Sall., Liv., Plin. mai, Tacitus, si appositio subiecto particulis „ut, quasi, tamquam“ adiuncta est, cf. Schmalz p. 221, 25; excempla ex illis praebet Draeger I² p. 191.

12. Saepius autem praedicati numerus pendet a nomine praedicativo (Ziemer loco quem supra dixi demonstrat, quomodo hoc intellegatur). — Prop.: II 14, 23: haec mihi devictis potior victoria Parthis, haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt. II 16, 46: quae (43: vestis, smaragdos, ... chrysolithos ...) tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua. III 9, 34: Maecenatis erunt vera tropaea fides. — IV 1, 14: centum illi saepe senatus erat. IV 9, 20: nobile erit Romae pascua vestra Forum. Idem invenitur apud Terentium, interdum apud ipsum Ciceronem, saepius apud posteriores, ut Livium, Senecam, Flor., Lactant. (cf. Schmalz p. 222, 26 a); Draeger I² p. 181 complures locos Livianos profert.

13. Illis locis, ubi subiectum pronomen demonstrativum vel relativum est, illius pronominis numerus et genus pendent a nominis praedicativi numero et genere, si subiecti notio non amplior praedicativi notione est, sed hac definitur. Sed posteriores hoc saepius

non observant, ut Tac. hist. 1, 49: ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur; Gregor. Turon. h. F. 2, 37: et hoc herba est (cf. Schmalz p. 222, 28 a). Similiter Propertius: IV 1, 1: hoc Roma est (at II 20, 26 pronomini propria inest notio, III 7, 66 pronominis relativi notio definitur nomine praedicativo).

b) De attributo et appositione.

1. Saepius apud priscos, praecipue poetas comicos, raro apud Ciceronem (numquam ap. Caes. et Varr.), saepius apud Augusti aetatis poetas, Liv., Tac., eosque, qui priscorum dictionem imitati sunt, adverbium pro attributo est. cf. Schmalz p. 224, 32; Leky p. 11; Holtze I 11. E Propertio nonnulla iam contulerunt: Wagner p. 23; Schäfler p. 63; Spandau, de sermone Propertiano, Lips. 1889, p. 54. — Prop. I 16, 47: semper amantis fletibus; II 28, 61: divae nunc, ante iuvencae; III 13, 25: quondam iuventus. Non tantopere offendimus illo usu, quo inter attributum et substantivum adverbium intermittitur, quod saepissime apud Propertium fit (de Livii usu v. Draeger I² p. 132 § 79 c): I 1, 2: nullis ante cupidinibus; I 3, 44: longas saepe moras; I 6, 6: graves saepe preces; I 7, 21: non humilem saepe poetam; II 6, 15: his olim vitiis; II 25, 16; III 13, 33 saepiusque.

2. E priscorum sermone in poetarum dictionem penetravit ille usus, quo duo substantiva, quorum alterum pro attributo est, coniunguntur, unde in posteriorum dictionem videtur venisse, ut Vell., Sen., Plin., Tac., Iust., Hygin. cf. Schmalz p. 224, 33; Leky p. 11 b 2; Draeger I² 668. Prop.: I 20, 45: Dryades puellae; II 31, 8: artifices boves; II 34, 74: agricolae domini; III 6, 27: ranae rubetae; III 11, 11; custodis serpentis; 39: meretrix regina; 13, 34: silvicolis viris; 39: dei pastoris; 14, 20: fratres deos; IV 2, 62: artifices manus: IV 3, 64: carbasa lina; II 34, 38: victor equus; III 9, 42: victor equus; III 3, 9: victrices moras; III 22, 22: victrices manus; IV 1, 47: arma victricia; multa alia. — Poetarum et argenteae aetatis scriptorum sermonis proprium est substantiva personalia addere substantivis, quae rem significant, ut Catulli et Plini (cf. Schmalz p. 224, 33), ita Properti: I 21, 1: consortem casum; III 9, 23: dominas securis; IV 1, 115: ultores ignis; quibus addo locos dubios: II 13, 12: me iuvet in gremio doctae legisse puellae, auribus et pueris scripta probasse mea (pueris NFVd; puris D; optime igitur illud traditum est; si recte, certe insolentissimus hic locus est; recepit illud Phillimore, hoc omnes fere ceteri); alter locus hic est: II 32, 6: Appia cur totiens te via ducit anus? (anum O; anus: nonnulli codd. deteriores, ut: (praeter correctorem v) b [Barberinus saecl. XV]; o² [c. Ottobonianus 1550]; o³ [Ottobonianus 2003]; sed cod. o³ praeterea tradit ‚ducis' pro ducit; tamen illud „anus" fortasse recte traditur, quia „anum" vix apte diceretur de Cynthia. cf. Cat. 68, 46: charta anus 78, 10: fama anus; Ov. am. I 6, 26: serva aqua; met. VII 295: iuvenes annos; Iuv. III 33: domina sub hasta; Apul. met. 3, 29: rosae virgines. — Praeterea praecipue poetarum more Propertius utitur

nominibus propriis saepissime adiectivorum loco, ut: I 1, 13: Hylaei rami (cf. Rothst.); II 1, 34: Actia rostra; 34, 61: Actia litora; IV 6, 17: Actia monumenta; IV 6, 67: Actius Phoebus; III 11, 52: Romula vincla; IV 4, 26: Romula hasta; IV 6, 23: Augusta ratis; II 1, 53: Ilia tellus; III 13. 61: Ilia Maenas; I 1, 11; I 11, 30; 16, 2; II 1, 76; 16, 3; III 2, 12; 12, 11; 13, 6; 13, 8; IV 1, 40; 8, 78; 10, 31.

3. Alienum ab eleganti dictione est substantivum cum praepositione coniunctum addere alteri substantivo attributi loco, quamquam nonnumquam apud ipsum Ciceronem, praecipue autem in epp. invenitur hic usus; plerumque addit participium. Schmalz p. 224, 34; de priscorum et Apulei usu v. Leky p. 12, 3; Kauer adn. ad Ter. Ad. 541; cf. Cic. Att. 5, 14, 1; 9, 5, 1; fam. 9, 16, 7; plaga ab amico; praeterea cf. de Ciceronis usu Jahn-Kroll ad Brut. 131. — Prop. II 8, 8: in amore rota; III 2, 24: sine morte decus; III 9, 1: Maecenas, eques de sanguine regum; IV 1, 62: folia ex hedera; IV 2, 38: demissis institor in tunicis; 39: pastorem ad baculum; IV 6, 37: longa mundi servator ab Alba; 7, 63: Andromedeque et Hypermestre sine fraude maritae narrant . . . IV 10, 9: ductor ab arce; 11: spolia ex umeris Quirini: III 15, 1; 45; III 22, 9; 25; 24, 8; IV 6, 40; IV 1, 51; IV 5, 58; 9, 9; cf. quoque: II 26, 9: quae cum Castore fratri . . . excepi.

Similis dictio intermissa est inter substantivum eiusque attributum ut ap. Ciceronem his fere locis: I 3, 44: longas in externo amore moras; II 6, 10: tener in cunis et sine voce puer; III 16, 6; 17, 13; 18, 7; 20, 8; IV 1, 63; 107; 2, 1; 10, 2.

4. Synesin in attributo habet hic locus: III 13, 25: felix . . . iuventus, divitiae quorum . . . erant . . .; de aliorum eiusmodi vulgari usu v. Draeger I^2 190; Leky p. 12; Ziemer (Junggr. Streifz. 87 sq.). — Spectat certe id quoque ad illam synesin (quod poetarum liberiori dictioni tribuo), quod participium addendum substantivo addit attributo Propertius: III 2, 17: Pyramidum sumptus ad sidera ducti.

5. Familiaris et poetici sermonis proprium esse videtur, nomini proprio ipsi addere attributum nomine generali non addito. De eiusmodi familiari usu v. Schmalz: Über den Sprachgebrauch der nichtciceron. Briefe in der ciceron. Briefsammlung; i. d. Z. f. Gymnasialw. 35. Jahrg. p. 134; Stinner, de eo quo Cicero in epp. usus est sermone II., Oppeln 1854, p. 9 sq. — Prop. I 6, 13: Doctas Athenas; I 7, 3: primo contendis Homero; 8, 2: gelida Illyria; 8, 42: Cynthia rara; I 12, 2: conscia Roma; 20, 4; 22, 3; II 1, 21; 34, 58 saepissimeque.

6. Appositionis genus et numerus, si fieri potest, cum substantivo consentire solent; aliter autem Propertius, quamquam hic quoque usus facilem habet intellectum; nam nominis plurali numero additur per synesin nomen collectivum: I 19, 13: formosae, chorus, heroinae; I 20, 25; fratres Aquilonia proles; IV 11, 21: assideant fratres, Minoia sella; cf. IV 9, 18; — aut nomini collectivo addit Propertius explicandi causa appositionem numeri pluralis: IV 10, 26: et captae, iugera, terra Corae (terra: codd. O; terna: ς); nomini collectivo similiter addit duo substantiva appositionis loco: I 18, 19: arbor habet amores,

fagus et pinus (idem Cicero, si dicit de legion., cons.; cf. Draeger I² p. 1). — Aliis locis substantivum, cui additur appositio singularis numeri plurale tantum est: II 1, 21: Pergama, nomen Homeri; — aut nomen, quod appositionis vices tenet plurale tantum est: I 20, 33: hic est, Pegae, domus; III 1, 27: Idaeum Simoenta. Iovis cunabula parvi; fort. II 28, 53: Troia, et Phoebi et Priami regna; III 21, 7. — Denique interdum appositio integrae sententiae tenet vices, ut: I 11, 30: Baiae, crimen amoris, aquae (= quae crimen paratis amori); IV 9, 17: boves, labor ultime (= qui tantum laborem mihi paravistis); IV 7, 75: deliciae meae, Latris (= quae tot delicias mihi paravit); cf. IV. 6, 17; II 19, 10. — Interdum certe poetae utuntur plurali numero aut singulari, quia altero numero propter metrum aut omnino uti non possunt aut alter melius ad illum locum quadrat. (cf. Bednara, de serm. dact. latin. quaestion., Lips. 1906, qui de plurali pro singulari usurpato verba facit p. 49, et de singulari pro plurali p. 79—83); velut IV 1, 135: „elegos, fallax opus", plurali numero: „ŏpĕrā" metro dactylico dicere non licuit; saepius autem hoc facit Propertius certe, quia ita facile optimum pedem efficit: IV 5, 18: hippomanes, fetae sēmĭnā equae. Praeterea memoria digni mihi esse videntur illi loci, quibus singularis numeri nomini addit Propertius nomen collectivum appositionis loco, ut: II 2, 3: Ischomache, genus; II 15, 27: totum femina coniugium.

Vocativo saepius appositio additur non eodem casu, sed nominativo; cf. Plaut. Stich. 764; Ov. Heroid. 14, 73; Pers. 2, 165; Verg. Aen. 1, 664. cf. Schmalz p. 225, 36, 1; Prop.: II 6, 20: Romule, nutritus duro lacte; at contra: II 15, 1: o tu lectule, deliciis facte beate meis; II 33, 29: Icare, iugulate ...; IV 6, 38; IV 9, 17.

7. Ut in sermone vulgari, ita apud Propertium interdum in appositione parataxin pro hypotaxi deprehendimus, ubi exspectamus genetivum. Idem fit apud Catonem, Plautum, auct. b. Hisp., Lucret., Varr., Cic. epp., Livium. cf. Ennius ap. Cic. fam. 7, 6, 1: „quae Corinthum arcem altam habebant". cf. Schmalz p. 225, 37; Leky p. 13, 5; Holtze I 8; praeterea cf. Leo ad Culic. p. 37. E Propertio huc mihi spectare videntur: I 19, 13: illic formosae veniant, chorus, heroinae (= chorus heroinarum); II 29, 3: obvia pueri, ... turba, ... venerat (= puerorum); II 28, 60: munera debita redde choros; III 6, 27: ranae portenta rubetae; III 9, 27: in cineres, arcem Cadmi; III 13, 2: exhaustae damna opes; IV 1, 36: Fidenas vias isse. Duobus locis Propertius praefert appositionem secutus linguam vulgarem, quia genetivum metro inserere non poterat: II 31, 4: femina turba; et IV 9, 3: venit ad invictos pecorosa Palatia montis. (partic. in — tos exiens certe hic exstat, nam de ea re omnes codices consentiunt). — Genetivos: „fēmĭnārum" et „Palātĭōrum" metro omnino inserere non poterat poeta. — Simili parataxi utitur Propertius, si per attractionem pronomina genetivi loco casui substantivi accomodat, ut: II 8, 26: uterque cruor (i. e. utriusque cruor); II 30, 34: hic chorus (harum chorus); cf. infra p. 29.

8. Raro Cicero, saepius Sallustius in hist., ut Aug. aet. poetae, Livius, Curtius, Tacitus toti addunt sententiae appositionem

(cf. Schmalz p. 226, 39), ut Propertius: II 21, 3: quaeritis et caelo, Phoenicum inventa, sereno, quae ...; II 34, 77; III 3, 3; IV 10, 45; 11, 27; praeterea maiori sententiae parti addit appositionem Prop. IV 6, 64. De aliorum script. usu v. Draeger I² 669 § 309. Interdum appositione pluribus Propertius exsequitur verbis id, quod substantivo, cui additur appositio, dicere vult, ut: III 22, 1: Cyzicus, Didymus et sacra fabricata inventa Cybelle; IV 9, 24. cf. Rothst. adn.

c) De notionibus praedicativis.

Interdum iam apud veteres, saepius demum apud poetas Augusteae aetatis et posteriores adiectiva adverbiorum locum tenent; quomodo hic usus intellegi possit, demonstrat Ziemer (Junggram. Streifzüge) p. 89 sq. Qui etiamsi in sermone vulgari saepius invenitur (cf. Holtze II, 202 et I 27; Stinner, de eo quo Cicero in epp. us. est serm. II p. 8, Lindsay p. 38; Leky p. 14c), tamen liberiorem Properti usum poetarum mori attribuo. De Catulli usu cf.: Overholthaus, syntaxis Catullianae capita duo, Götting. 1875, p. 12; Streifinger, de syntaxi Tibulliana, Würzb. 1881, p. 22; de posteriorum usu Draeger I² 352. Denique cf. Pick, de vi atque usu adiectivi praedicativi apud aevi Augustei poetas latinos, Halle 1879, qui inde a pagina 10. ad 20. disputat de verborum generibus, quibuscum adiectiva praedicativa coniungebantur, ubi paucos iam profert locos e Propertio. Quia praeterea Schäfler (p. 55) et Wagner (p. 22) sicut Rothstein (adn. I 6, 12) nonnulla iam protulerunt, hic paucis locis allatis secutus Pickii dispositionem usum illustrabo Propertianum:

α) de verbi substantivi vicariis: vivere, vigere: — Prop. II 9, 3: Penelope poterat salva vivere: I 16, 12; II 32, 62:

β) de verbis affectuum, ubi Pick e Propertio profert locos: I 6, 12; 18, 25; II 20, 1; III 8, 5; quibus addo: II 3, 49: trepidant feroces;

γ) de verbis veniendi et quiescendi; venio: II 13, 50: mors sera venis; eo: I 5, 2: ire pares; I 14, 3; curro; I 14, 3: mireris celeres currere lintres; fugio: I 8, 38: illa fugit avara; vestigia ferre: I 5, 5; praeterea huc cadit hic locus: III 9, 27: tam faciles insinuentur opes; sedeo: I 15, 1; II 14, 14; requiesco: II 34, 74; iaceo: I 7, 18; et plura similia.

Sed aliis quoque verbis Propertius addit adiectivum praedicativum pro adverbio, e quo numero profero primum nonnulla verba dicendi, ut: II 21, 5: cantat liber; IV 8, 49: rauci sonuerunt; cf. IV 8, 19; II 22, 11: dura negarat; II 23, 17: poscet garrula. Deinde praeter multa alia e variis verbis profero haec: II 33, 25: lenta bibis; I 2, 28: donet libens Calliopea lyram; II 18, 23: demens imitare; II 18, 10: sedula lavit equos etc. Insolentissimus certe hic locus est II 25, 31: semper sua maxima cuique verba nocere solent.

Praeterea Pick de nonnullis adiectivis dicit usurpatis pro adverbiis, ut de adiectivo „maturus“ (p. 42) — Prop. II 18, 12 — quocum loco

comparat Lucr. V 221; Hor. carm. II 17, 5; — p. 43 sub adiectivo „serus“ profert III 4, 5; sub adi. „aeternus“ IV 3, 21. — Equidem ex adiectivis pro adverbiis usurpatis profero: adi. „citus“: — Prop. III 23, 23: citus haec propone columna; — Plaut. Amph. 244: equites parent citi; praeterea adiect. „miser“ quoque saepius in sermone familiari ita usurpari videtur: Prop. III 5, 6: miser aera paro; III 7, 7: miser excidit; III 7, 61; miser scopulis affligar! — cf. Plaut. Mil. 8: quae misera gestit; Hauler ad Ter. Phorm. 96: miseram matrem lamentari.

Fortasse linguam Graecam imitati addunt poetae participio tale adiectivum (cf. Schmalz p. 227: *πολύς ῥέων, κρήνη ἄφθονος ῥέουσα;*): — Prop. I 16, 10: nobilis tradita; III 9, 51: eductos pares reges.

Interdum per prolepsin utitur tali adiectivo Propertius, ut: I 16, 10 (cf. Rothst.); III 7, 40; 8, 3; 11, 25; IV 4, 8; saepiusque.

Sermonis familiaris est, pronomine „nullus“ uti pro adverbio, i. e. pro negatione simplici; cf. Schmalz p. 227, 2; Haase, Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft, Leipz. 1874, I 130; Leky p. 14 c; Holtze I p. 409; Lindsay p. 51, 28; Dtz.-Haul. ad Phorm. 179; Brix ad Trin. 606; cf. quoque Kroll, de Symmachi studiis graecis et latinis, Bresl. Philol. Abhandl. 6, 1891, p. 35; Stinner loco supra allato; Overholthaus l. supra allato; Pick p. 49 de hoc usu dicit (p. 51): „atque hac in voce ponenda iterum cum illis poetis antiquioribus consentiunt Cat., Prop., Ovidius“, atque profert: Cat. 8, 14; Ov. met XI 570; Prop.: I 5, 21: cur sim toto corpore nullus ego. Praeterea e Propertio huc mihi referendi videntur hi loci: I 9, 23: nullus Amor ... praebuit alas; II 22, 28: nullus Amor eripit ...; I 17, 7: nullane veniet fortuna; 17, 12: ossaque nulla tuo nostra tenere sinu; II 25, 9: me deducet nulla senectus. Praeterea autem obliquus quoque casus negationis „non“ locum tenere videtur ap. Propertium, ut: I 22, 8: nullo contegis ossa solo; III 6, 22: aequalem nulla habere domo? (quod tradunt omnes codd. praeter N; et qualem nullo: N; domo: O); — Cynthia hoc loco de Properti domo solum loquitur. — Idem sentio de loco II 25, 17: at nullo dominae teritur sub limine amor; — quamquam Rothsteinius et Schmalzius putant „nullo“ ablativum pro substantivo usurpari. (sub limine: trad. L; sublimine N; sub lumine: D. V. F.). cf. infra p. 86.

Denique poetarum more casu vocativo quoque praedicative utitur Propertius. (cf. Schmalz p. 226, 40, adn.) Verg. Aen. II 283; Tib. I 7, 53; Hor. carm. I 2, 37; Theocrit. 17, 66: *ὄλβιε, κοῦρε, γένοιο;* — Prop. I 7, 23: ardoris magne poeta iaces; III 22, 30: nec tremis Ausonias Phoebe fugate dapes; fort. II 15, 8.

d) De casibus.

Priusquam transeamus ad singulorum casuum usum explicandum, haec praemittenda mihi esse videntur; nam omnes sententiae partes, omnia nomina, sententiae casu obliquo inserenda sunt. Apud poetas autem scriptoresque posteriores interdum exstat nominativus pro

casu obliquo (nonnulla exempla profert Schmalz p. 228, 43), ut apud Propertium: I 18, 31: resonent mihi „Cynthia“ silvae. Quocum comparare me posse puto hos locos: II 8, 12: illa tamen numquam ferrea dixit „amo“; II 22, 14: quod quaeris, „quare“ non habet ullus amor; II 25, 2: excludit quoniam sors mea „saepe veni“.

1. De accusativo.

Nonnulla eorum, quae hac parte commentationis et proxima, qua agam de casuum usu, afferam, iam inveni in Hoerlei[1]) dissertatione, qui tamen Properti dictionem cum aliorum nisi interdum cum unius Tibulli usu non comparat; idem omnes res enarrat saepe usitatissimas. Atque primum quidem enumero:

A. ea verba, quae cum fere transitiva dicantur, Propertius absolute scribit:

α) sermoni familiari fortasse tribuenda sunt haec verba absolute usurpata: amo: (i. e. amore teneor): I 13, 32: illa cogat amare Iovem. I 12, 8; II 23, 24; 24, 24; 30, 34; 32, 35; 34, 24; IV 5, 77; cf. Ter. Andr. 185; Cic. fam. 9, 14, 5; Hor. sat. 2, 3, 250; — committo: II 18, 37; noli committere; cf. Cic. Att. I 6, 1; fam. 11, 20; — facio: III 12, 4: ne faceres, Galla multa rogante tua. (cf. Rothst.) cf. Ter. heaut. 1047: mi vir, te obsecro, ne facias. — pulso: II 14, 21: pulsabant alii frustra (sie klopften an). IV 5, 47. cf. Augustin. serm. 36, 11: ad divitem; sensu transit. saepius invenitur ap. Plaut.; cf. Hor. sat. I 1, 10.

β) apud priscos et posteriores inveniuntur: duro I 16, 11: possum durare querelis (dat. rel.). cf. Plaut. Amph. 882; Men. 781: vivere non possum neque durare; praeterea ap. Verg., Liv., Quint., Suet. — miror: I 20, 46: puellae miratae destituere (acc. praed. eidem verbo additur I 7, 21 v. infra p. 29). cf. Ter. Heaut. 374; duobus l. apud Cic. in libris philos. (cf. Merguet), ap. Hor., Livium. — Fortasse addere licet etiam verbum intransit. absolute usurpatum haereo: Prop. I 3, 19: haerebam; II 3, 2: haesisti; fortasse sermoni vulgari attribuendus est hic usus; — Plaut. Amph. 184; Pseud. 423; Lucan. 7, 547.

γ) apud posteriores exstant: — defleo: Prop. I 16, 13: has inter gravibus cogor deflere querelis. cf. Manil. IV 748; Apul. met. 4, 35: Psychen paventem ac trepidam et in ipso scopuli vertice deflentem; Justin. 18, 14, 13; cf. Schneider, de Propertio sermonis novatore et amplificatore, Argent. 1888 p. 68. — noto: III 7, 22: qua notat Argynni poena. (cf. K. P. Schulze: Beiträge zur Erklärung der römischen Elegiker, Progr. Berlin 1898, p. 22). — Denique his addo verbum intr. absol. usurpatum: persuadeo (quod. l. IV 1, 146 trans. usurp.; v. infra p. 24): Prop. I 2, 13: litora persuadent. cf. Quint. 10, 1, 82.

δ) Properti proprius esse videtur verbi „relevo“ talis usus: I 14, 22: quid relevant serica ...? cf. Schneider p. 69.

---

[1]) Hoerle: de casuum usu Propertiano. diss. Halle 1887.

Deinde transeo ad

B. ea verba, quibus contra optimorum prosae orationis scriptorum usum intransitive utitur Propertius: — facio: III 1, 20: non faciet capiti dura corona meo. cf. Hor. ep. I 11, 17 et Kießl. ad h. v., qui saepius ita usurpari hoc verbum ab Ovidio affirmat. — Cum posteriorum usu congruit Properti usus his locis: deficio: I 1, 7: mihi furor hic non deficit; cf. Sil. 8, 661; Stat. Ach. 1, 445. — C. F. W. Müller, Synt. p. 119. — fugio: I 5, 17: et quaecumque voles fugient tibi verba querenti. cf. Sen. tranqu, an. 8: fugit mihi servus. — Fortasse sequitur sermonem familiarem Prop. II, 22, 35: caelo modo sol, modo luna ministrat: (quod v. Cicero in oratt. et scriptis philos. et rhet. aut absol. usurpat aut c. acc.). cf. Cic. fam. 16, 14.

C. Denique transeo ad ea verba, quae Prop. transitive usurpat, optimi scriptores intransitive; atque initium quidem facio:

a) ab illis verbis, quae etiam ab aliis poetis et posterioribus scriptoribus ita usurpantur, ut: accedo I 9, 19; Müller, Synt. p. 133. anteeo: I 6, 19; credo: I 15, 34: per quos mihi saepe credita perfidia est (= a me creditum est perfidiae). Draeger I² 168 unum locum e Vergilio, complures ex Ovidio profert. degenero: IV 1, 79: degenerasse propinquos. cf. Schneider, de Prop. serm. nov. et amplif. p. 67. — ap. Ovid., Stat. (Theb. 4, 149). evado: I 21, 11; habito: II 13, 4; cf. Schmalz p. 230; Preising, de L. Annaei Sen. poet. trag. cas. usu. p. 8. intono: II 1, 40; cf. Ov. am. I 7, 46; laboro: IV 3, 33; minor: IV 6, 49: prorae Centaurica saxa minantes; paveo: IV 5, 38; cf. Draeger I² 360; C. F. W. Müller, Synt. p. 124; Preising p. 5. pigeo: IV 1, 74 (cf. p. 15); pudeo: IV 8, 26; (cf. p. 15: de aliorum eiusmodi usu gerundivi). tremo: III 22, 30; Preising p. 5 et Draeger I² 360 de aliorum usu. Müller, Synt. p. 124. vigilo: III 15, 2 (Verg. georg. I 313). venor: III 22, 33 (cf. Cic. Verr. IV 47).

β) vulgaris sermonis videtur esse horum verborum talis usus: consuesco: I 12, 5: consuetos amores; (quod verbum trans. usurpare sermonis vulgaris esse affirmat Klotz, Lex. Lat.). cf. Colum. 6, 29; partic. invenitur ap, Terentium et Sall. — gaudeo: II 19, 1: hoc erat imprimis, quod me gaudere[1]) iubebas; — cf. Cic. Att. 15, 21: id gaudet; Cael. ap. Cic. fam. 8, 8: nihil quod magis gavisurum te putem, habeo; 8, 14; 7, 1; ad Quint. fr. 3, 1 saepiusque; praeterea invenitur ap. Terentium; cf. Phaedrus 5, 5, 8. Müller, Synt. p. 14. — Aliquid dubitari potest de loco: II 31, 13: altera deiectos Parnasi vertice Gallos, altera maerebat funera Tantalidos; — verbum „maerendi" transitive usurpatur: Cic. fam. 14, 2, 2; Quint. fr. I 3, 10; Hor. ep. 15, 23; — in libris, quantum vidi in Mergueti lex. Cic., solum: Tusc. I 105; 115. — Certe autem sermoni familiari tribuendum est, quod verbum „persuadeo" transitive usurpatur. cf. Schmalz p. 243, 73; invenitur apud Petronium et Apul. (cf. Draeger I² 405; p. 169). cf.

---

[1]) cum ablativo coniungit hoc v. Prop. I 14, 15; 12, 16; II 8, 19 etc.

praeterea Kühner II § 27, 5; p. 76. — cf. Caec. ap. Cic. fam. 6, 7, 2; auct. b. Afr. 55; Phaedr. I 8, 7; Val. Max. 3, 8; — Prop. IV 1, 146: persuasae fallere rima sat est.

γ) apud priscos et posteriores ita usurpantur:

exeo: III 5, 37: fines non exeat aequor. — ap. Plaut., Ter., Lucr., Verg., Ovid., Stat. (Theb. 6, 802). Müller, Synt. p. 141. — fleo: I 9, 10: moenia flere; IV 11, 99; III 9, 38; III 12, 13: aliquid flendum. cf. Plaut. Capt. 139; ap. Catull., Tib. (cf. Streifinger, de syntaxi Tibulliana, diss. Würzb. 1881, p. 18), Hor., rarissime ap. Senecam et Ovidium (cf. Preising p. 4), ap. Phaedr., Tac. — propero: III 21, 21: properate laborem; II 28, 25; saepius ap. Plautum, ut Cas. 491; Verg., Hor. (ep. I 3, 28), Tib., Sall.

δ) solum apud Propertium aut apud Propertium et posteriores exstant:

aemulor, quod verbum, si ζηλοτυπίαν significat, Cicero semper coniungit cum dativo, ut Tusc. I 19, 44; Propertius autem cum accusativo, quod alii scriptores faciunt, si ad imitandi significationem propius accedit: Prop. II 34, 19: meas aemulor umbras.

Similiter Properti proprium esse videtur: doleo: I 16, 24: me dolet aura (= me dolore afficit). Fortasse cum hoc usu comparare possumus illud Plautinum: dolet mihi; cf. Lindsay ad Capt. 928. — assuesco: transitive scriptum invenitur ap. Propertium et posteriores (cf. p. 24 consuetus): Prop. I 1, 36: assueto amore; II 3, 48: assueto iugo. cf. Stat. Theb. 4, 655; Lucan. 5, 776; Vellei. II 29, 1; (assuesco aliquem aliqua re ap. Hor. sat. II 2, 109; cf. adn. Kießl.).

Ad alia ut transeamus, optimi solutae orationis scriptores verbis, quae significant motum, addunt praepositionem; at Liv. Andron., Plautus (de quorum usu v. Heckmann in: Indogermanische Forschungen 18 p. 296 sqq.), auct. b. Hisp., saepius Vergilius, Petronius, Tacit., Suet., Apul., illis addunt simplicem accusativum nominum terrarum. Fortasse ut aliis locis ita hic poetae hauserunt e sermone vulgari, posteriores deinde exceperunt illum usum e poetis. cf. Schmalz p. 230, 47; Draeger I² 393; Lindsay p. 25, 39. Propertius eodem modo accusativum simplicem nominis proprii habet: II 16, 10: alias naviget Illyrias. cf. Plaut. Curc. 339: quod veniam Cariam? Petron. 48: Africam ire. Verg. ecl. 1, 65: pars Scythiam veniemus. — Certe id vulgaris sermonis mihi esse videtur, quod accusativum simplicem nominis appellativi addit iis verbis Propertius: II 19, 22: comminus ire sues. cf. Cic. Att. I 14, 15: rostra advolat. De prisc. et Apulei usu v. Leky p. 21; cf. Draeger I² 395.

Transeamus ad accusativum obiecti interni, qui vocatur, qui e lingua sacra, iudiciaria, familiari in poetarum sermonem translatus esse videtur. cf. Schmalz p. 231, 48; Draeger I² 386; C.F.W. Müller, Syntax p. 4 sq. Illius forma primitiva est figura etymologica, cuius verum exemplum unum est apud Propertium: III 24, 36: et quae fecisti facta... Saepius ita scriptus est, ut obiectum sit res, quae cum

verbo quasi cognatione quadam coniuncta est. — Prop. I 1, 18: notas ire vias; I 8, 30: novas ire vias; I 20, 18: Phasidos isse viam; II 33, 8: multas inire vias; I 2, 12: indociles currere vias; I 17, 6: saevas increpat minas; III 21, 1: magnum iter proficisci. — Alienae magis significationis obiecta interna haec fere sunt: I 3, 7: mollem spirare quietem; 13, 23: caelestem flagrans Heben (cf. Rothst. adn.). cf. Verg. ecl. II 1: ardebat Alexim; — 15, 39: multos pallere colores; II 1, 9: lyrae carmen percussit; 3, 24: sternuit omen; II 34, 25: seros insanit amores; fort. II 17, 1: mentiri noctem. — Iam vero id certe plane alienum est ab optimorum solutae orationis scriptorum usu, quod saepius addit Propertius verbis transitivis obiecti interni accusativum; a quo usu alii abhorrent scriptores, ut vitent errores: Prop. I 1, 20: sacra piare; 8, 22: verba querar; 11, 18: timetur amor (cf. Rothst. adn.); 20, 42: errorem tardat; II 1, 45; III 6, 30; 8, 26; 9, 14; 21, 24. Aliorum exempla profert Rothstein adn. ad. v. I 1, 20. Certe in hoc liberiore usu multa poetae Latini hauserunt ex imitatione Graecorum.

Huc quoque cum Schmalzio afferre licebit accusativum temporis, ut: I 6, 11: non horam possum durare; I 15, 11: multos dies sederat; II 8, 13; 9, 20; 22, 25; 28, 17; 33, 2; III 12, 32; 22, 1; 25, 3. Atque secutus Hoerlei dissertationem his addo hos pronominum neutr. gen. accusativos (Hoerle p. 28): II 15, 9: quantum morata sunt; 32, 7: spatiare quodcumque vacabis; IV 6, 81: aliquid pharetris Augustus parcet. Saepius autem pro illo accusativo Caesar, poetae Augusteae aetatis, Livius, Tacitus scriptoresque posteriores scribunt ablativum (cf. Schmalz p. 231, 48, 4); e Propertio notanda profero: I 1, 7: toto furor hic non deficit anno (cf. Rothst.: Der Abl. ist kräftiger und anschaulicher, als es der gramm. auch mögliche Akk. sein würde, weil dieser nur die Zeitdauer mißt, während der Abl. die Phantasie des Lesers unmittelbar in das Jahr versetzt); I 6, 7: totis noctibus argutat; II 9, 19: at tu non una potuisti nocte vacare (ubi subsequitur acc.: unum diem); II 14, 28; 15, 40; 22, 24; 24, 43: parvo spatio.

Rarius veteres et rarissime Cicero, saepius poetae scriptoresque post Livium solutae orationis adiectivi neutrius generis accusativum usurpant pro obiecto interno; apud Propertium haec sunt exempla: II 15, 53: magnum speramus; (ubi plerique cum Scaligero scripserunt spiramus); IV 7, 52: canis molle sonet. De Catulli usu vide: Overholthaus, synt. Cat. capp. II p. 25; cf. praeterea: C. F. W. Müller, syntax p. 55 sq. Brenous (étude sur les hellénismes dans la syntaxe latine, thèse, Paris 1895, p. 232) recte mihi dicere videtur ad id, quod huius structurae usum tantopere auxerint posteriores scriptores, multum contulisse linguam Graecam, quamquam huius usus radix si dicere hoc licet, ipsi linguae Latinae inest. (Idem sentio de plerisque rebus, quae graecanica nominantur a viris doctis.)[1]) Rarius accusa-

---

[1]) cf. Brugmann, Indog. Forsch. V p. 100: Unter Gräcismus hat man nicht zu verstehen, daß der latein. Sprache etwas ihr von Haus aus völlig Fremdes aufgepfropft wurde, sondern es wurde nur ein seinem Ursprung nach

tivum numeri plur. invenimus; apud Propertium autem inveni hos locos: I 5, 30: mutua flere; 10, 22: superba loqui; 16, 26: respondes mutua. II 26, 28: multa amare potest. Iam vero ita habet illum accusativum, ut prorsus videatur esse pro adverbio. cf. Schäfler p. 30; de aliorum usu Draeger I² 393. — Prop. III 8, 38: sit socer aeternum (cf. Tac. ann. 12, 28: aeternum discordant). II 28, 57. C. F. W. Müller, Syntax p. 109. II 26, 28: multa et amare potest; III 12, 4: Galla multa rogante (acc. „multum" II 26, 27). IV 8, 55: quantum femina saevit; II 25, 40: quantum cruciat (cf. Overholthaus p. 26, de Catulli usu). I 1, 16: tantum valent; fort. I 18, 9: quid tantum merui? I 7, 7: nec tantum ingenio, quantum servire dolori. id. III 22, 21; II 5, 15: nec tu non aliquid dolebis; I 11, 1: ecquid te nostri cura subit? (cf. Draeger I² 345; de prisc. et Ciceron. usu, qui rarius hoc pronomen ita usurpant; de Plauti usu v. Lindsay p. 130; de post. cf. Hand, Turs. II 352).

Prisci et vulgaris sermonis proprius est accusativus adverbialis (cf. Schmalz p. 232, 50 adn.), qui invenitur ap. Catonem, Lucilium, Varronem, Catullum, rhet. ad Her., Petron., Gellium, ap. Cic. solum ad Att. 13, 12, 3. cf. Müller, Synt. p. 162. Wölfflin, Arch. Lex. 5, 388; Leky p. 22. Apud Propertium quoque unum exstat exemplum: I 22, 1: qualis et unde genus (cf. Schäfler p. 34).

Fortasse graecismum putare licet, quod totiens Propertius addit adiectivis accusativum substantivi, qui usus inde a poetarum Augusteae aetatis tempore praecipue Vergilii et Ovidii incipit et continuatur apud Tacitum, Apul., Ammianum, Ecclesiast. — Prop. II 5, 28: Cynthia verba levis; 8, 23: saucius latus; II 24, 52: pectora nuda; praeterea adi. partic.: IV 8, 24: armillatos colla canes. cf. Schäfler p. 31; Wagner p. 8.

Creberrimi sunt apud Propertium illi accusativi Graeci qui falso vocantur. Nam iam ab initio lingua Romana nonnullis verbis medialibus addidit accusativum, qui usus postea coniunctus est cum scriptorum Graecorum usu, qui neutralibus quoque verbis passivis addebant accusativum. cf. Schmalz p. 233; Schäfler p. 10 sq.; Schroeter, Der Akkusativ nach passiven Verben in der lateinischen Dichtersprache, Glogau 1870. Exempla protulerunt Schroeter p. 6 e Horatio, Vergilio, Ovidio; Schaefler p. 10, qui poetarum usum comparat cum priscorum usu. C. F. W. Müller, Synt. p. 127 sq. Draeger I² 363, qui agit de poetarum et posteriorum usu. Nam invenitur hic accusativus apud omnium temporum poetas et apud scriptores solutae orationis posteriores. De Properti usu cf. Wagner p. 8. — Prop. (verba litterarum ordine disponam): III 14, 15: crines adspersa; I 3, 11: sensus deperditus omnes; I 3, 34: fixa cubitum (cf. Draeger I² 366 de Vergil., Ov., Stat.); II 16, 24: cubaris brachia fusa viro; III 13, 11: census induta nepotum (saepe ap. Ovid., cf. Draeger I² 363); II 13, 27:

---

echt einheimischer Anwendungstypus, weil er im Griechischen ein von den Römern empfundenes Analogon hatte, nach diesem ausländischen Muster weiter ausgebildet.

pectus lacerata; III 17, 29: candida onerato colla; II 2, 8: pectus operta; IV 9, 15: pulsus tria tempora; II 15, 42: pressi membra (de Verg. usu v. Dr. I² 367); III 12, 28: alternas scissa aquas; II 18, 24: tincta caput: II 28, 17: versa caput; IV 9, 52: canes vincta comas (de Verg., Hor. v. Draeger I² 364; de Cat. Schäfler p. 22). Propertius uni verbo intr. deponenti addit illum accus.; I 3, 8: Cynthia nixa caput; II 29, 40: nixa pedem; — cf. Apul. met. V 31: infesta et stomachata biles Venerias (cf. Draeger I² 370, qui illum unum locum Apuleianum esse dicit). — Atque addit Propertius illum accusativum verbo intransitivo activo: II 34, 47: cornua haeserit; cf. Verg. Aen. 5, 97: nigrantes terga iuvencos; Georg. 3, 84: tremit artus (Lucr. III 487; Hor. sat. II 7, 57). Tac. ann. 13, 35: praeriguisse manus; Apul. met. V 17; colla sanguinantem. cf. Schäfler p. 27.

Vulgarem sermonem certe Propertius imitatur accusativi duplicis usu suo, qui Ciceronis aetate solis verbis docendi, poscendi, rogandi, celandi additur, sed plerumque solum, si alterum obiectum pron. neutr. gen. est; popularis autem sermo praecipue illum accusativum servavit eiusque usum auxit (cf. Schmalz p. 233, 54). Cum passivo verbi docendi coniungit Propertius accusativum rei more poetarum et posteriorum (cf. Draeger I² 371). Prop. I 13, 13: haec doctus. At certe sermonis familiaris est haec iunctura passivi verbi celandi, ut: III 25, 11: te celatis annis. cf. Ter. Hec. 645: nosne hoc celatos tam diu. Cic. ad Qu. fr.: 3, 5 (6), 4: sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam. — Nec minus mihi sequi videtur Propertius sermonem cotidianum in verbo monendi, quod similiter scriptum invenitur ap. Naevium, Plautum, Cic. in epp. (cf. Draeger I² 373). Prop. I 20, 1: hoc monemus te; cf. Cic. fam. 3, 3: Fabius ea me monuit; Att. 9, 9, 2: illud me admones (cf. Verr. III, 157). Saepius Plautus, Livius, nonnulli poetae, raro Cicero (ut Verr. II 1, 17) verbo poscendi addunt duplicem accusativum (cf. Draeger). — Prop. II 24, 13: cupit iratum talos me poscere eburnos. cf. Verg. Aen. 11, 362: pacem te poscimus; saepiusque. Georg. 3, 456.

Neque aliter rem instituit Propertius in accusativo praedicativo, qui vocatur: Prop. III, 17, 41: tu modo vacuum me siste; cf. Cic. Att. 10, 16, 6: te vegetum nobis in Graecia siste. Raro agendi quoque verbum coniungitur cum accusativo duplici a posterioribus. Prop. II 30, 32: communis culpae cur reus unus agor? cf. Ov. ep. 14, 120; Liv. 24, 25; Suet. Claud. 29. — Afferre denique libet hunc usum verbi faciendi, qualis est ap. Cic. ad Att. 3, 8, 2: vitam reliquam facit (= relinquit). cf. Draeger I² 383 de Cic. in epp. et prisc. usu. Degenhart, de auctoris b. Hisp. eloc. et fide hist. p. 5. Landgraf, Bemerk. zum sermo cotid. i. d. Brief. Cic. u. an Cicero, i. Bl. f. d. bayr. Gymn.-Wesen 1880, 16 p. 326. Huc faciunt hi loci Propertiani: II 18, 6: et faceret scissas genas (i. e.: scinderet): II 30, 18: turpia faceret ora (i. e.; turparet). III 8, 8: fac pectora nuda (i. e.: nuda). cf. III 22, 38: valuit curvare . . . et curvatas (facere). E verbis dicendi denique et existimandi haec omittere nolo: I 6, 9: illa meam mihi iam se denegat

(at cf. p. 13). IV 4, 44: improba lecta ministra; I 7, 21: tum me non humilem mirabere saepe poetam.

2. De genetivo:

Quia Hoerle in libello, quem supra attuli, accuratissime genetivi subiectivi usum perscrutatus est, praeter illa pauca, quae ipse inveni, enumerabo; multa autem eorum, quae Hoerle protulit, omnibus latinitatis temporibus inveniuntur. Velut nomen abstractum metonymice dictum genetivo addito ad certum aliquod genus refert Propertius, ut: I 11, 30: Baiae, crimen amoris, aquae; II 1, 21: Pergama, nomen Homeri; plura affert Hoerle 76, A. Eiusmodi genetivi usus hic etiam magis ab aliorum usu alienus est: II 1, 28: Siculae classica bella fugae; I 7, 2: arma militiae fraternae. — Genetivo possessivo patrem indicat Prop. III 15, 12, id quod omnibus latinitatis temporibus invenitur. Insolentior hic usus est: II 34, 37: Adrasti vocalis Arion (sc. equus). IV 5, 43: Thais pretiosa Menandri (sc. amica); de simili usu comicorum (uxor, servus), Cic. in epp. vide Draeger I² 485. Recte id quoque monere mihi videtur Hoerle saepius Propertium per attractionem pronomina „hic, ille, simil." casui substantivi accommodare, cui casu genetivo addenda erant: Prop. I 4, 11: haec forma (i. e. huius). II 1, 56: ex hac domo; II 7, 20: hic amor; II 30, 34: hic chorus (i. e. harum); IV 1, 54: huic cineri; — II 12, 12: ex illo vulnere; II 13, 33: laurus, quae tegat umbra (sc. cuius); at cf. infra p. 76; quibus addendos existimo hos locos: II 8, 26: uterque cruor; II 20, 16: cinis uterque (i. e. utriusque). cf. supra p. 20.

Nec omittere licet, quod apud illum non inveni, Propertium eo ad sermonis familiaris genus dicendi accedere, quod duobus locis genetivum addit, quamquam personam pronomine iam significavit. cf. Schmalz p. 235, 57 adn. 2; — cf. Cic. fam. 15, 13, 1: me tuum studium adulescentis perspexisse; Hor. sat. I 4, 23: mea scripta legat timentis. Quibuscum comparo: Prop.: IV 10, 43: illi virgatis iaculantis ab agmine bracis torquis ab incisa decidit unca gula; IV 7, 23: at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis; hoc quidem loco eodem iure propter metrum dativo quoque uti poterat; — certe Propertius multo liberiorem usum habet quam illi.

Iam transgrediamur ad genet. definitivum, qui numquam apud Ciceronem et Caesarem, eo saepius autem apud Auct. b. Afr., Vitruvium, inde ab Ennio apud nonnullos poetas et posteriores invenitur. cf. Schmalz p. 235, 58. Koehler, de auct. b. Afr. et Hisp. latin., Act. Sem. ph. Erl. I p. 424. Atque primum quidem enumero locos, ubi notioni generis nomen proprium addit Propertius, ut: II 10, 13: equitem Parthorum; 26: Permessi flumine (i. e. Permessum flumen). III 9, 25: Medorum per hostes; fortasse: III 11, 51: flumina Nili; I 6, 1: Hadriae mare (nomine „Hadriae" meton. utuntur pro mari Hadriatico: Varro sat. Men. 421; Hor. carm. I 3, 15; Plin. 3, 119; Tac. h. 3, 12 et 42). Fortasse his adiungere licet locos: I 18, 2: Zephyri aura; II 26, 48: Lernae palus; IV 1, 83: Iovis stellas Martisque; 84: Saturni sidus. II 10, 16: domus Arabiae. Iam

vero notioni generis addit notionem specialem: I 3, 37: longa meae tempora noctis; I 8, 9: hibernae tempora brumae; III 20, 13: primae tempora noctis; I 7, 8: aetatis tempora dura. fort.: III 5, 26: hanc mundi domum; 11, 70: tantum operis belli; 14, 10: missile disci pondus; IV 2, 28: corbis in imposito pondere; 5, 57: Coae munera vestis. cf. Colum. 11, 2: arbor fici; Catull. 64, 22: optato saeclorum tempore; Liv. 24, 3, 4: abietis arboribus. — Saepius invenitur genet. epexegeticus, qui dicitur, ut I 17, 7 (cf. Rothst.), I 11, 20; 12, 1 saepiusque. cf. Jahn-Kroll ad Cic. Brut. 89. Ab hoc genetivi usu mihi videtur haud ita alienum esse, quod Propertius interdum coniungit cum nomine genetivum substantivi, cui inest similis notio, — i. e. genetivum identitatis, ut I 20, 9: Gigantea litoris ora; III 19, 6: ad fontis caput; IV 9, 33: luci antro (cf. Rothst.). cf. infra p. 92, nam talia certe spectant ad sermonis ubertatem.

Genetivum obiectivum omnibus latinitatis temporibus addunt scriptores substantivis verbalibus, et quorum verba primigenia transitiva et quorum intransitiva sunt, ita ut exempla enarrare e Propertio opus non sit; saepius autem poetae substantivis primitivis addunt genet. obi., ut Prop.: III 8. 39: furandae copia noctis; I 18, 6: principium flendi; II 20, 24: lecti copia tui; III 7, 29: leti causas (cf. Tib. I 3, 50: leti viae). IV 11, 100: pretium vitae. — Cicero, Livius aliique perspicuitatis causa saepe praepositiones addunt; aliter Propertius his locis: II 18, 15: Tithoni gaudia vivi (i. e. Tithono vivo); 13, 20: fati querela mei (ob fatum meum); III 5, 47: exitus vitae; 7, 2: mortis iter; 12, 3: spoliati gloria Parthi; 13, 19: certamen leti. — Raro apud Ciceronem (in epp., ut fam. 16, 12, 3), saepius apud Sallust., Nepotem (Tac. adiect. ut: h. II, 82) pronomen possessivum invenimus pro genetivo obiectivo (cf. Schmalz p. 236, 59 adn. 1). Sed quia saepius etiam ap. Plautum invenitur hic usus (cf. Lindsay p. 42, ut: Capt. 133: ego qui tuo maerore maceror), haud scio an sermoni familiari tribuendus sit. Ad eundem usum faciunt hi loci Propertiani: I 8, 1: mea cura (= mei); 15, 31: tua cura (= tui); 21, 3: nostro gemitu (cf. Rothst.) II 25, 9: ab amore tuo; III 15, 9: tuus amor; III 22, 6: desiderio meo; IV 3, 28: e desiderio meo; 8, 67: nostris plagis; 11, 90: offensas suas. — Nec minus pronomina demonstrativa nomini accommodantur, qui usus apud Nepotem, Caesarem, Livium, apud ipsum Ciceronem invenitur (cf. Schmalz). — Prop. I 19, 4: hic timor; II 9, 36: ea causa; 22, 45: hic dolor; IV 11, 74: haec cura. Praeterea Propertius adiectiva addit nominibus pro genetivo obiectivo (cf. supra: Tac. h. 2, 82): I 3, 44: externo in amore; 19, 14: Dardana praeda; II, 12, 13: puerilis imago; 14, 1: Dardanio triumpho (genetivum: „Dārdănōrum“ metro dactylico inserere non poterat l. I 19, 14 [ubi praeterea substantivo pro adiectivo utitur. cf. supra p. 19]). — Ciceronis iam aetate saepius adduntur et gen. subi. et gen. obi. eidem substantivo, quod. ap. Ciceronem inveniri praecipue in epp. affirmat Schmalz (p. 236, 60 adn. 1), ut Att. 2, 5, 1; 10, 3. 3; — sed saepius in ceteris scriptis quoque invenitur. cf. Jahn-Kroll ad Brut. 163; de Catulli usu v. Overholthaus p. 31; cf. Draeger I² 472: de Cic., Caes., praesertim Livii et posteriorum usu. Apud Propertium sunt

hi loci: I 13, 9: haec erit illarum contempti poena doloris (cf. Rothst.). II 27, 6: et maris et terrae pericla viae; III 7, 22: qua notat Argynni poena minantis aquae. III 10, 3: natalis nostrae signum puellae. (Ab eodem nomine pendent duo genetivi subi. IV 1, 103; fort. IV 5, 23; gen. subi. et gen. qual. III 18, 2 [idem de loco IV 5, 23 modo allato iudicare licet; cf. Rothst.]; gen. part. et subi. III 11, 70).

Non alienum est ab eleganti dictione addere substantivo genetivum qualitatis, qui significat materiem aut spatii aut temporis modum aut genus illius substantivi, a quo pendet, ut Prop.: II 31, 12: valvae, Libyci dentis opus; III 18, 2: stagna tepentis aquae; III 12, 25: castra decem annorum. Insolentiores hi sunt loci (quia genetivo non additur attributum; cf. Draeger I² 462, 5): IV 8, 86: sulpuris igne; IV 8, 37: vitrique supellex (si Scaligeri coniecturam probamus, ut et Rothstein et Phillimore; traditur enim: „utrique“ codd. N v f; uterque: ceteris). — Omnino autem hic genetivus imprimis acceptus est sermoni familiari (cf. Schmalz p. 236, 61), ut: Cic. fam. 7, 1, 2: ludi non tui stomachi; Plaut. Rud. 1196: hominem nulliu' coloris; cuius liberiori usui fortasse addere licet hos locos: I 1, 3: mihi constantis lumina fastus deiecit (cf. Rothst.); III 13, 8: multi pastor odoris Arabs; 32: plumae versicoloris avem; II 13, 24: plebei funeris exsequiae. Uno huius generis loco praeterea omittit attributum: IV 6, 72: blanditiae rosae.

Genetivus partitivus omnibus latinitatis temporibus iungitur cum substantivis, adiectivis, adverbiis (quae significant modum aliquem), numeralibus, pronominibus quantitativis, ut locos Propertianos afferre opus non sit. Sed alienum ab optimorum scriptorum sermone est neutris pronominum addere genetivum partitivum pro appositione; optimi scriptores substantivum et pronomen eodem casu coniungunt; saepius autem invenitur ille usus in sermone cotidiano. cf. Schmalz p. 238, 62, adn. 2 s. f.; Leky p. 15 qui praeter locos Apuleianos multa comic. profert exempla; cf. Cic. fam. 2, 8: hoc litterarum; 9, 2, 2: idem consilii; Att. 7, 3, 9: quid hominis. Quo spectare mihi videntur hi loci Propertiani: II 23, 8: muneris ecquid habes? III 3, 4: tantum operis; idem: III 11, 70 (cf. Plaut. Men. 435); III 9, 59: hoc laudis concedis. Iam vero addit illi pronomini praepositionem: III 5, 11: maris in tantum (i. e. in tantum mare). — Eundem genetivum quamquam sanam rationem neglegentes addunt Horatius, Propertius, Ovidius, Catullus, Livius, Plin. mai., Tacitus posteriorisque aetatis scriptores adiectivorum qualia sunt „omnes, cuncti“ numero plurali (cf. Schmalz p. 238 adn. 4): — Prop. III 9, 7: omnia rerum (cf. Rothst.). cf. Hor. c. II 1. 23: cuncta terrarum; Ov. met. 4, 6, 31: cunctos hominum; Tac. hist. 5, 10; Liv. 31, 45, 7; Plin. n. h. 3, 1, 7. — Locum II 25, 47: satis insomnia . . ., ubi parataxis est pro hypotaxi, i. e. pro genetivo partitivo, sermoni familiari attribuo (quamquam apud optimos quoque scriptores talia exstant, ut: „satis magna pecunia; satis multi milites“, ubi certe adverbium „satis“ adiectivo additur); cf. Plaut. Capt. 232: maxuma pars homines. Cic. Att. 12, 50: satis consilium. cf. supra p. 20. Genetivum „insōmnĭaē“ Propertius iterum metro dactylico inserere non poterat.

Genetivi pendentis ex adiectivis relativis haec afferenda censeo exempla: adiectivum „plenus“ Propertius semper coniungit cum ablativo, ut II 13, 30: munere plenus; III 13, 28: puniceis plena canistra rubis; IV 10, 6: exuvio plenus; vulgaris haec iunctura esse videtur (cf. Schmalz p. 252, 91 adn.) — cf. auct. b. Hisp. 5: lapidibus; Cic. Att. 3, 14, 1: exspectatione plenus; Plaut. Merc. 881: splendore plenum (cf. Lindsay p. 17). Liv. 5, 21. Idem invenitur raro etiam apud alios poetas, qui saepius genetivo utuntur (cf. Schmalz). Omnino constat apud poetas et posteriores liberiorem inveniri usum illorum adiectivorum; Propertius quidem adiectivo „notus“ addit genetivum: I 16, 2: ianua Tarpeiae nota pudicitiae; IV 7, 64: historiae pectora nota suae (cf. Rothst.). cf. Hor. c. II 2, 6; v. Haustein, de genetivi adiectivis accommodati in lingua Latina usu, Halle 1882, p. 65. Schäfler p. 39. Draeger I² 481, 4 (v. praeterea Brenous, étude s. les héllenismes dans la synt. lat. p. 125sq., praec. 128, qui graecanicum id esse putat).

Ciceronis aetate scriptores verbis quae sunt de memoria, ut „meminisse“ et similibus addere solent genetivum, raro accusativum (cf. Draeger I² 488 § 210). Propertius uno loco habet genetivum: II 20, 28: possum ego naturae non meminisse tuae, quo loco „non meminisse“ idem est atque oblivisci. Ceteris locis accusativus est apud Propertium, ut I 11, 16: communes nec meminisse deos; I 10, 3 saepiusque. Verbum „miserendi“ coniunctum cum genetivo praecipue invenitur apud Plautum, Auct. b. Afr., Sallustium, rarius apud Ciceronem (cf. Schmalz p. 241, 68; Draeger I² 491: e Cicerone unum locum Verr. II 1, 28 affert), apud Lucretium, Vergilium. — Prop. II 28, 1: affectae miserere puellae; II 28, 41. cf. auct. bell. Afr. 16: misereor vestri.

Verbum „egendi“ coniungunt cum genetivo Plautus (qui solum genetivum habet; cf. Lindsay p. 36, 68 et p. 12), Sallustius, rarissime Cicero (in epp.), Caesar, rhetor ad Her. (v. Thielmann, Stilist. Bemerk. zu den Jugendwerk. Ciceros, i. Zeitschr. f. d. bayr. Gymnasialw. 1880, 16 p. 353), interdum poetae, ut Vergilius, raro Livius (ut 3, 48; 52), Tacitus. cf. Schmalz p. 252, 91; Holtze I 338; Plaut. Mil. 1033; Asin. 591: tui abeuntis egeo. — Cic. Att. 7, 22; egeo consilii; fam. 9, 3: ut medicinae egeamus; saepius ap. Sallustium, qui in deliciis habuit illam structuram, ut introduceret in dictionem meliorem, ut: Cat. 51, 37; Iug. 31, 29. Caesaris inveni unum locum b. g. 6, 11. — Prop. IV 9, 35: fontis egens; (at abl.: III 20, 30; II 4, 21).

Rarissime invenitur fere apud poetas genetivus exclamationis (cf. Schmalz p. 242, 71), apud Plautum, Catullum (9, 5 o mihi nuntii beati), Lucanum (2, 45 o miserae sortis); e solutae orationis scriptoribus invenitur apud unum Tertullianum (de paenit. 12: pro malae tractationis) et in versione latina ep. Clem. ad Corinth. 53, 5: o magnae caritatis. — Prop. IV 7, 21: foederis heu taciti! cf. Brenous: étude sur les hellén. p. 141, qui hunc usum nominat: „un hellénisme pur“; v. praeterea Schäfler, p. 44, qui comparat cum Graeco illo: οἴμοι, φεῦ c. gen. — Contra Lindsay, qui p. 13 complures locos Plautinos profert, errore quodam id linguae Graecae attribui contendit, quod suo iure mihi dicere

videtur; ita ut Propertius hic ut aliis locis non tam e lingua Graeca, quam e prisca Latina vel familiari hausisse mihi videatur.

Denique haud scio an de genetivo comparationis liceat cogitare in versu I 11, 21: an mihi non maior carae custodiă matris ... sit ...? — qui usus rarissime invenitur (cf. Schmalz p. 253, 92, 1; Draeger I² p. 494), atque numquam quidem Ciceronis aetate; ceterum exstat ap. Vitruvium (5, 1, 3: superiora inferiorum fieri contractiora); Plin. (ep. 10, 83 (79), 1: minor annorum triginta), saepius apud Apul., ut met. 8, 27; 3, 11 et apud Eccl.

3. De Dativo.

Dativi obiecti secundarii usus omnibus latinitatis temporibus idem fere est (cf. Draeger I² 402), ita ut multa de eo afferre non opus mihi esse videatur. Hoerle p. 33 omnia verba enumerat, quibus addit Propertius dativum. Pauca commemoro, atque:

A. verba transitiva, quibus additur dativus:

α) verba simplicia: — verbum „apto" coniungere c. dativo praecipue poetarum mos esse videtur. — Prop. III 25, 14; Verg. Aen. 9, 364; Hor. epod. 7, 2; Ov. met. 10, 381. — similiter v. fundo Prop. II 16, 24: brachia fusa viro; Ov. met. 3, 172. — rapio alicui aliquid: Prop. IV 3, 64 (i. e. deripio), cf. Ov. met. 13, 773. Ad locum Prop. I 15, 12: „iniusto multa locuta salo" cf. Sil. I 416; (loqui alicui scribit Plaut. (mil. 476; trin. 358) et Stat. Theb. 12, 26; Sil. 16, 322). Similem structuram habet Propertius I 6, 7: mihi argutat ignes. — Dictioni familiari autem addere possumus fortasse has structuras: III 19, 23: hanc dotem virgo desponderat hosti. cf. Plaut. Aul. 205; Poen. 1156; Varro l. l. 6, 7, 70; Cic. ad Att. I 16, 8; 11, 6, 6; fam. 12, 9; (Merguet praeter multos l. epp. e libris unum habet: de or. I 2, 39). — Prop. II 1, 4: fortasse ingenium nobis ipsa puella facit; cf. Plaut. Most. 435: hau causast, ilico quod nunc voluisti facere quin facias mihi (cf. Lor. ad h. v). Pseud. 360; Ap. met. 6, 19; 1, 2: gloriam nobis faciunt. cf. Leky p. 17. cf. supra p. 23 et 24. Fortasse his addere licet 9, 22: nihil negare tuae (nos: etwas abschlagen); III 15, 18; cf. Cic. Att. 8, 4, 2; auct. ad Her. 4, 12, 18; Ov. her. 3, 96; Suet. Aug. 40.

β) verba composita, ubi omnino sequitur poetarum usum Propertius: applico: I 20, 20; admitto II 34, 16 (Hor. c. I 28, 9); addo: IV 4, 35; III 1, 15; III 9, 13; (cf. Draeger I² 421: raro apud ipsum Cic.); adverto: I 1, 37; advolvo: III 17, 1; contexo: II 1, 35; imbuo: IV 10, 5 (pro str.: aliquem aliqua re); implico: III 5, 20; ingero: IV 5, 55; — ab optimorum poetarum usu fortasse abhorret hic locus: Prop. IV 9, 55: interdicta ara viris. — nusquam ap. Vergilium; sed cf. Ov. met. 6, 333; Nep. Ham. 3, 2; Liv. 5, 3; Suet. Claud. 25. — Denique non omittam hunc insolentiorem locum: III 25, 14: speculo rugas increpitante tibi. cf. Val. Max. III 3, 2: increpitansque Argentinis ignaviam.

γ) verba iungendi; ex analogia verborum addendi commoti esse videntur scriptores, ut etiam simplicibus verbis iungendi addant dativum:

iungo: Prop. III 21, 13: iungite extremo felicia lintea malo; IV 11, 35; (partic. „iunctus“, quod invenitur ap. Prop. III 9, 33, eadem structura praeditum est etiam ap. Cic. [cf. Draeger I² 425 § 187]). Idem fit apud priscos, poetas Augusteae aetatis posterioresque. cf. Schmalz p. 243, 73; de Lucreti usu v. Holtze, synt. Lucret. lin. p. 44; de Catulli usu: Overholthaus, synt. Catull. capp. II p. 27. Praeterea poetarum more verbo „necto“ addit dat. Prop. III 5, 12.

Nunc dicere licebit B. de verbis intransitivis coniunctis cum dativo:

α) de verbis simplicibus; de verbis „facio“ et „ministro“ intr. usurpatis v. supra p. 24. De verbo „persuadeo“ transitive usurpato p. 24. E verbis impersonalibus coniunctis cum dativo profero: est (i. e. ἔξεστι): Prop. I 20, 13; III 3, 41, ubi poetarum morem et posteriorum sequitur Propertius; v. Draeger II 293.

β) de verbis compositis: cf. Draeger I² 406 § 185 sq. Hic quoque Propertium cum poetarum et posteriorum usu congruere consentaneum est: afflo: II 29, 10; concumbo: II 15, 16 (v. Draeger p. 413); concurro: III 9, 17; incido: I 15, 28 (duobus locis apud ipsum Cic. cf. Draeger p. 415); incumbo: I 20, 41; IV 7, 3; inniti: I 20, 44; insum: IV 9, 72 (quae iunctura ab optimorum poetarum usu abhorrere videtur, nam invenitur ap. Hor. saepius in epp., Sall., Liv., Nep., Ovidium. cf. Draeger I² 416). subeo: I 14, 20; II 27, 10; III 19, 14; IV 2, 50; 6, 71. — Denique his addo verbum impersonale coniunctum cum dativo: succedit III 7, 38 (nos: es gelingt): ut tibi succedat. — cf. Ter. Andr. 670; Cic. in epp. ut ad Qu. fr. 2, 14, 1; Planc. ap. Cic. fam. 10, 4, 4; saepius ap. Livium ut 24, 19, 6. Hactenus de verbis compositis coniunctis cum dativo; transeamus ad:

γ) verba certandi, quibus iam a Plauto, deinde a Lucretio, Catullo, poet. Aug. aet. posterioribusque additur dativus. cf. Schmalz p. 243, 73; poetarum exempla profert Draeger I² 406 § 184; cf. praeterea: Brenous p. 144, qui hanc structuram non alienam a lingua latina poetarum Graecorum imitatione etiam increbruisse affirmat. De Catulli usu v. Overholthaus p. 27; de Properti Wagner p. 15. — certo: Prop. II 3, 11: Maeotica nix minio si certet Hibero; IV 6, 3; cf. Verg. ecl. 5, 8; georg. 2, 138; Hor. c. 2, 6, 15; sat. 2, 5, 19. contendo: Prop. I 7, 3; 14, 7; (mecum: II 24, 23). pugno: I 10, 22; cf. Cat. 62, 64; Verg. Aen. 4, 38 (ad: II 24, 25).[1])

---

[1]) Fortasse hoc loco rem afferre licet, quae pertinet ad declinationem. Nonnulli enim putaverunt inveniri apud poetas dativum in — e exeuntem, qui invenitur in titulis plebeiis (cf. Stolz, Laut- u. Formenlehre 129): Dative auf-ĕ von diesen Stämmen (ut ovis, pater) sind nur vulgär, die angeblich für die Dichtersprache nachgewiesenen dieser Art sind bereits von Neue beseitigt. Ita multi viri docti etiam apud Propertium multos tales locos se invenisse putaverunt (cf. Voss. de anal. 2, 10; Burmann ad Prop. 3, 9, 40 (4, 11, 40); Schneider, Formenlehre 201, cum quibus facit Rothstein); multis locis certe cum iniuria, ut I 8, 22; 11; 17, 21; III 6, 24; IV 7, 77; ubi certe exstant abl. loci, temporis, causae (cf. Neue-Wagner I³ 300 et 301). Unus autem locus IV 8, 10: „creditur ore manus“ restat; ergo hunc dativum vulgaris esse sermonis putamus, quod mirari non opus est, quia totiens Propertius vulgarem usum dicendi sequi videtur.

D a t i v u s p o s s e s s i v u s raro invenitur ap. Ciceronem, si agitur de possidenda persona aut re (cf. S c h m a l z p. 244, 74). Aliter Propertius: I 13, 36: una sit ista tibi; II 18, 33: tibi nec frater nec sit tibi filius ullus, frater ego et sim tibi filius unus ego; III 20, 9: sit tibi fidus amicus.

D a t i v u s c o m m o d i omnibus latinitatis temporibus invenitur et saepissime scriptus est apud Propertium. Commemoro Propertium ut Plaut., Verg., Hor., Tib., verbis defendendi addere dativum commodi (cf. Schmalz p. 244, 75): I 16, 9: nec possum infames dominae defendere noctes (I 20, 7: „huic tu defende rapinas", qui locus interdum his additur, huc non est referendus; nam trad. cod. AFN: hunc; DV nunc; huic: Auratus; ergo optimo iure legimus: hunc; v. infra p. 92). — Item d a t i v u s a d d i t u r a d v e r b i i s e t i n t e r i e c t i o n i b u s ex usu sermonis vulgaris (cf. S c h m a l z p. 244, 75); saepissime ille quidem invenitur apud poetas comicos, e quibus profert exempla D r a e g e r I² 432 § 190. cf. H o l t z e I 308. v. praeterea P r e i s i n g, de L. Ann. Senecae casuum usu p. 50, qui profert sex locos ex Herc. Oet., quam a Seneca abiudicat. — Prop. I 3, 38: ei mihi; IV 1, 58; IV 8, 48.

Prisci scriptores et poetae et posteriores d a t i v u m saepius p r o g e n e t i v o s u b i e c t i v o a u t p r o n o m i n e p o s s e s s i v o usurpant, qui usus inter poetas saepissime observatur apud Lucretium et Catullum. L a n d g r a f Arch. Lex. VIII 66 de eo comicorum usu disputat; cf. L e k y p. 18; B r i x: ad Mil. 272. De Catulli usu v. O v e r h o l t h a u s p. 28. (Qui usus saepe non facile a dativo ethico discernitur. cf. infra. — Prop. I 10, 7: quamvis premeret mihi somnus ocellos (i. e. meos ocellos); I 14, 11: tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores (i. e. sub mea tecta); I 19, 3: ne tuo careat mihi funus amore; II 3, 29: gloria Romanis una tu es nata puellis; II 5, 21: tibi scindam de corpore vestem; II 24, 3: cui non his verbis aspergat tempora sudor (i. e. cuius ... tempora); III 11, 15: cui postquam nudavit cassida frontem (cui: Nfv; qui: DVLF); praeterea: II 9, 39; 28, 25; II 29, 37; 30, 33; 34, 7; III 5, 3; 9, 9; 17, 9; 29; 22, 31; IV 2, 61; 4, 15; 38; 5, 31; 7, 8; 11; 10, 16; 11, 60.

Similis dativi usus ille est, quo Sallustius, Vergilius, Tibullus, saepe Tacitus d a t i v u m a d d u n t i p s i s u b s t a n t i v o, ita ut vere vices agat genetivi attributivi. cf. S c h m a l z p. 245; S t r e i f i n g e r, de syntaxi Tibulliana, Diss. Würzb. 1881, p. 17, qui e Tibullo ipso unum locum habet: II 1, 34; praeterea paneg. 4; Sulp. eleg. 1, 1; 5, 3. Saepe invenitur hic usus apud Propertium, ut: I 2, 17: Idae et cupido quondam discordia Phoebo, filia; I 22, 6;[1]) II 1, 74; 16, 2; 19, 10 etc.

Non valde alienus a dativo commodi est d a t i v u s e t h i c u s, qui ut sermonis familiaris proprius invenitur apud Plaut., Ter., Cic. in epp. ad Att. (ut I 8, 8: ille tibi pergit Brundisium), Hor. in sat. et epp.

---

[1]) l. I 22, 6 possess. creticum effecisset: sīc mĕūs praecipue ... dolor; cf. B e d n a r a p. 85, 2.

(ut ep. I 3, 15: quid mihi Celsus agit?) apud posteriores; rarissime apud Cic. in libris (cf. Schmalz p. 245, 76). Leky p. 18; Stinner, de eo, quo Cic. in epp. usus est, sermone; Progr. Oppeln III 1864, p. 4 (cf. supra p. 35 et infra p. 38). Properti eundem usum invenisse mihi videor his locis: I 4, 1: quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas . . ., cogis? 5, 11: tibi somnos . . . relinquet; I 5, 8: molliter irasci non solet illa tibi (cf. Rothst.); 5, 3: quid tibi vis, insane? 16, 18: quid mihi taces? 17, 3: nec mihi Cassiope visura carinam. 18, 9: quae te mihi carmina mutant? II 14, 14: mihi lenta sedere potest; 24, 5: quodsi tam facilis spiraret Cynthia nobis; 24, 30: tibi de timidis iste protervus erit; 33, 39: largius tibi madeat mensa; III 6, 35: tibi questa est puella; 9, 10: Calamis se mihi iactat equis; IV 7, 17: fenestra ..., per quam demisso quotiens tibi fune pependi ...! 78: versus ... ure mihi. Rarissime dativum ethicum non primae aut alterius, sed tertiae exstare personae affirmat Schmalz, qui unum affert exemplum: Ov. fast. 6, 173: piscis adhuc illi populo sine fraude natabat. Fortasse huc quadrat hic locus Propertianus I 12, 15: felix, qui potuit praesenti flere puellae (cf. III 6, 35: tibi questa est puella).

Cui dativo quam proxime cognatus est dativus relationis qui invenitur apud Cic., Nep., Tacitum, praecipue autem apud poetas, ut apud Propertium: I 2, 25; ne sim tibi vilior istis; I 8, 2: tibi sum gelida vilior Illyria; I 20, 13: ne tibi sint duri montes et frigida saxa...; saepiusque. Interdum participium ita usurpari affirmat Schmalz (p. 246, 77), praecipue inde a Livii temporibus, e quo multos locos profert Draeger I² 433. E Propertio profero haec: I 18, 1: haec certe deserta loca et taciturna querenti; III 2, 13: at Musae comites et carmina cara legenti... Brenous graecanicum id esse dicit; cf. p. 185 („L'influence du grec est encore plus probable dans le cas où, au lieu du pluriel du participe que les Latins emploient ordinairement, c'est le singulier, préféré des Grecs, que l'on rencontre. Mais s'il est vrai que la construction est hellénisante, elle n'est point du tout contraire au génie du latin“. Quod ita quidem fortasse concedere possumus).

Quod Propertius poetarum more saepissime dativo auctoris utitur, minime mirari possumus. cf. Brenous p. 154; Tillmann, de dativo verbis passivis linguae latinae subi. qui vocatur graec.; Acta sem. phil. Erl. II p. 71—140. Schäfler p. 47. De Propertio cf. Wagner p. 15. Atque Prop. praesenti tempore addit hunc dativum, ut: I 7, 1: tibi dicuntur Thebae; 8, 11: tibi solvatur funis; 31; 7, 9; 14, 12 saepius. Partic. perf. additur hic dativus: I 6, 17: oscula opposito sibi (= a se) debita vento; 11, 17: es mihi cognita; 15, 34; II 9, 25. Neque omitto hunc locum, quo Propertius etiam adiectivo in — bilis exeunti addit dativum: IV 7, 51: iuro nulli revolubile carmen. Sed quamquam totiens liberrime utitur hoc dativo, tamen II 34, 50 gerundivo addit praepositionem „a“ coniunctam c. abl. personae: „trux tamen a nobis ante domandus eris. (Cicero interdum ita dicit perspicuitatis causa; cf. Draeger I² 428; cf. p. 429 de Lactantio.)

Sed transeamus ad dativum praedicativum, qui praecipue sermonis familiaris proprius est (cf. Schmalz p. 246, 79) et apud Propertium haud ita raro occurrit; ceterum invenitur saepe apud poetas comicos ut alios scriptores priscos, Sallustium, Ciceronem praecipue in epp. et oratt. prior., Hor. sat., Tac., Apul.; cf. Draeger I² 438 de Ciceronis usu; de comic. et Apulei usu v. Leky p. 19; Lindsay p. 18; Stinner, de eo quo Cic. in epp. us. est sermone III p. 4. Nunc nonnulla e Propertio affero (ubi interdum certe cum Ciceronis in libris usu congruit, saepius autem liberiorem vulgaris sermonis usum habet, quod non semper discerni potest): I 12, 9: invidiae fuimus; II 5, 30: hic tibi pallori versus erit; II 15, 27: exemplo tibi sint columbae; II 22, 4: exitio nata theatra meo; 25, 1: nata meo dolori; 26, 31: erit ... una tecto arbor; III 6, 20: est poenae; IV 1, 6: nec fuit opprobrio; IV 11, 29: fama fuit decori. — Rarissime pro hoc dativo invenitur nominativus praedicativus, qui usus aliquantum augeri videtur a posterioribus. (cf. Schmalz p. 247, 79, 2; Draeger I² 443 § 195.) De priscorum usu v. Lindsay p. 19. Saepius autem hic usus apud Propertium ortus videtur metro; cf. Bednara p. 7. Cuius rei si rationem habemus, Propertium his locis hac structura (nom. praed. pro dat. praedic.) usum cognoscimus, quia creticos, qui dativo efficerentur, in metrum dactylicum immittere non poterat: I 3, 32: taedia tibi sint luxuriae (taēdĭīs; taēdĭō); 11, 21: tu mihi custodia es (custōdĭaē); II 12, 22: gloria est (glōrĭaē); id. II 3, 29; II 24, 1: sit fabula ... Cynthia (fābŭlāe); III 13, 27: munus erant (mūnĕrī); 25, 1: risus eram (rīsŭī); praeterea pentametro baccheum inserere non poterat Propertius his locis: I 22, 6: mihi pulvis Etrusca dolor (dŏlōrī); id. I 14, 18; III 7, 28: tu timor esse potes (tĭmōrī). „Sed quod poetae dactylici Latini primo necessitatis causa fecerunt, id brevi post commoditati concedebant“ (cf. Bednara p. 49), velut Propertius his locis: II 10, 5: audacia lāus ĕrĭt (pro spondeo: lāudī); III 11, 29: quae opprōbrĭă vexerit ... femina. Loco: IV 11, 43: „non fuit exuviis tantis Cornelia damnum“ fortasse perspicuitatis causa usus est nominativo. Sed consilio certe hoc loco usus est hac structura Prop.: II 24, 15: me fallaci dominae iam pudet esse iocum (nichts, wie ein Zeitvertreib).

Denique huc pertinet dativus finalis, qui dicitur, idem praecipue sermonis familiaris proprius (cf. Schmalz p. 247, 80). Caesar interdum hoc dativo in locutionibus militaribus utitur secutus militum sermonem. Cuius dativi e Propertio addo hos locos: I 6, 21: tua aetas cessavit amori; II 3, 7: studiis vigilare severis; 42: dominam exemplo ponat; 10, 15: India dat colla triumpho; 24: sacris vilia tura damus; II 26, 17: subsidio currere; III 12, 35: arcus leto renovasse procorum (leto: ς; lecto: O); 13, 36: alta nativo creverat herba toro (cf. Rothst.). IV 4, 44: virgineo lecta ministra foco; IV 5, 5: Hippolytum Veneri mollire; 8, 78: lectica tuae sudet aperta morae.

Non prorsus aliter res se habet in illo dativo locativo, si hoc dicere licet, qui originem cepit e sermone vulgari, unde in poetarum

et posteriorum dictionem pervenit, ubi eius usus extendebatur ex imitatione poetarum Graecorum. cf. Schmalz p. 247, 81; Brenous p. 193; Schäfler p. 53; Schroeter, Der Dativ zur Bezeichnung der Richtung i. d. latein. Dichtersprache; Progr. Sagan 1873, p. 3. De sermonis familiaris usu v. Koehler, de Auct. b. Afr. et Hisp. latin., Acta sem. Erl. I 425. Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. et fide hist., Würzb. 1877, p. 17. De poetarum usu v. Draeger I[2] 427. De Properti usu cf. Wagner p. 12; Hoerle p. 47. Atque Propertius hunc dativum addit verbis: venire: I 11, 25: veniam amicis (cf. Rothst. adn.) II 22, 2; II 19, 28; 31, 1; III 4, 5; fortasse (si non dat. eth.): II 23, 20: hodie vir mihi rure venit; III 16, 1: dominae mihi venit epistula (cf. p. 35). ire: I 15, 8: novo ire viro; 20, 32: ibat Hamadryasin. III 1, 26; IV 1, 148 (cf. Verg. Aen. 4, 451: it clamor caelo); redire: II 3, 32; vehi: III 21, 19: vectus Lechaeo. ferre: II 19, 13; IV 3, 71: arma cum tulero portae Capenae; refero: I 3, 35; duco: II 1, 75: te meo ducet via busto (labor: I 15, 29: „vasto labentur flumina ponto“ vix huc licet referre, cf. Rothst. adn.; sed rectius verba „vasto ponto“ ablativum esse putabimus; item dubius est locus: IV 2, 36: traicit alterno qui leve pondus equo).

Denique transeamus ad adiectiva, quae cum dativo iunguntur, quorum numerum poetae Augusteae aetatis et Tacitus valde auxerunt (cf. Schmalz p. 247, 82). Atque addit quidem Propertius dativum his adiectivis: acer: II 22, 45: dolor acer amanti; aequus: II 3, 22: carmina putat aequa suis (nos: gleich); cf. Ov. ep. Pont. 4, 7, 24; Liv. 27, 49, 5; certus: tu mihi certus eras; commodus: II 27, 4; cf. Hor. ep. I 9, 9; credulus: I 3, 28: vano credulus auspicio; quod adiectivum sequitur verbi structuram; cf. Rothst. adn.; Schmalz p. 248 adn. crudelis: II 26, 45; fort. I 20, 4; dexter: III 2, 7; IV 1, 68; factus: IV 5, 49: miles factus amori; hospitus: III 22, 37; invidiosus: II 28, 10: formosis invidiosa dea est (neidisch auf; verbi structuram hoc quoque adiectivum sequi videtur; mollis: I 7, 4; III 15, 29; obnoxius: I 2, 21: facies nullis obnoxia gemmis; operosus: IV 6, 18; solitus: IV 7, 9: solitum digito beryllon; cf. Verg. Aen. 11, 383: solitum tibi; tardus: I 8, 41: amanti tardus Apollo.

4. De ablativo:

Interdum apud Propertium invenitur ablativus causae interioris q. d., ut: IV 11, 48: ne possis melior iudicis esse metu; III 16, 7: distulero haec nostro mandata timore; sed diutius in eo versari opus mihi non esse videtur, quia quamquam praecipue comicis et posterioribus acceptus (cf. Leky p. 23), tamen omnibus latinitatis temporibus usitatus fuit. Sed raro apud Ciceronem ablativus causae exterioris est (ut fam. 6, 13, 3), sicut apud Caesarem, saepius autem Nep., comicos, Sallustium posterioresque. cf. Holtze I 141; Lindsay p. 35, 61; Draeger I[2] 544, 2 de priscis, Livio, Tacito. E Propertio pro-

fero: I 3, 32: luna sedula moraturis luminibus (quia l. morantur); I 16, 47: dominae vitiis et fletibus aeterna deferor invidia (propter vitia...); II 3, 34: pulchrius hac fuerat perire (propter hanc); II 12, 4: levibus curis magna perire bona; 34, 52: cur fraternis laboret equis (ob equos solis); III 12, 16: moribus his alia coniuge dignus eras; III, 25, 9: limina nostris lacrimantia verbis (ceterum verba affectuum hic omitto, quia ipse Cicero illis addit hunc ablativum). IV 4, 83: mons erat festo remissus (propter festum). Uno loco Propertius participium addit, quod valde in deliciis habet Cicero; I 15, 9: Ithaci digressu mota.

In ablativo modi „astu" sequitur Propertius comicorum usum. cf. IV 5, 15: astu caecare maritos. — Plaut. Most. 1069; Pers. 148; cf. Draeger I² 535; Holtze I 172; Lindsay p. 34, 58. Sed ablativum modi scribere neque attributo nec praepositione „cum" addita praecipue argenteae latinitatis est. cf. Schmalz p. 249, 85; Leky p. 23; Kühnast, Liv. Syntax. p. 177. Propertius quidem dicit: III 21, 12: remorum pares ducite sorte vices; III 19, 24: portas fraude reclusit (ablat. ‚iure', qui apud Cic. quoque invenitur, interdum iam apud Ter. exstat; Prop.: II 6, 8; 8, 40; 30, 17; 8, 36). His addo I 17, 3: solito; I 9, 7: merito (saepius iam apud Plautum, ut Pseud. 476); id. I 17, 1; 18, 15; cf. Ov. met. VI 687; IX 585; am. 7, 12, 9 (cf. Rothst. ad I 17, 1). Similiter res se habet in illo ablativo, quo momentum levius verbi actioni additur, quem invenies attributo aut praepositione carentem apud Sallustium, Livium, Tacitum, Suetonium recentioresque, sicut apud Propertium: I 4, 6: formam referas laudibus; I 5, 14: singultu verba cadent; II 22, 22: est culta labore Venus; III 1, 17: quod pace legas (idem ablat. apud priscos et Ciceronem est attributo addito, non praepositione cum, ut apud Prop. II 25, 4: Calve, tua venia, pace, Catulle, tua). III 21, 18: prece adire deos; IV 1, 139: labore parasti; IV 6, 61: prosequitur cantu Triton. (cf. Enn. epgr. 1, v. 3: clamore; ut Apul. met. 4, 8).

Omnium poetarum liberrime utitur Propertius ablativo qualitatis. cf. Rothstein ad I 2, 2 (Der freie Abl. qual. führt in der Form einer zufälligen Eigenschaft eine für die Sache wesentliche Bestimmung ein [hier das Ganze, von dem das regierende Substantiv nur ein Teil ist]. Diese freie Anknüpfung eines Abl. der Eigenschaft an ein Substantiv, die das logische Verhältnis der Begriffe unbestimmt läßt und dadurch den Leser zum Nachdenken zwingt, indem zugleich die verschiedenen Begriffe selbständig nebeneinander gestellt werden, wird zwar auch von anderen Dichtern nicht selten und zuweilen recht kühn gebraucht, von keinem aber so häufig wie von Properz). — I 2, 2: tenues Coa veste sinus; I 4, 13: multis decus arboribus; 2, 29: iucundis gratia verbis; 5, 15: maestis fletibus horror; 14, 22: variis serica textilibus; 16, 24: frigida Eoo aura gelu; 41: novo carmina versu; saepissimeque. Interdum potius exspectes genetivum, ut: I 4, 13; II 13, 23: odoriferis ordo lancibus; II 32, 13: platanis surgentibus ordo. Rarius hic ablativus nomini proprio aut personali additur (cf. Schmalz p. 250, 89, 1); II 30, 38: docta cuspide Bacchus; 33, 15: fuscis Aegyptus alumnis; IV 3, 8: munito Sericus hostis equo; 9: pictoque Britannia curru.

De ablativo instrumenti haec mihi memoranda esse videntur: Schmalzius docet huic illos ablativos addendos esse, qui adduntur verbis movendi, sedendi (Schmalz p. 251, 90); de v. „sedeo, vehor" v. Wagner p. 18. De Livii usu v. Kühnast, Liv. Synt. p. 174. Prop. I 17, 4: gurgite fecit iter; veho: II 26, 6; III 3, 8; aveho: I 2, 20; vector: II 30, 3 (in: III 1, 11). III 11, 44: baridos et contis rostra Liburna sequi. sedeo: IV 8, 21; IV 11, 86 (apud Ovid., Tib., Liv., cf. Schmalz). requiesco: I 8, 33. Verbis canendi rarissime Ciceronem, saepius Plautum, Propertium, Ovidium addere abl. affirmat Schmalz. Prop. II 34, 67; III 17, 34; cf. II 34, 79: facis carmen docta testudine. E verbis copiae his addo: mano (apud Cic. iis tantum locis, quibus veteribus ex scriptoribus sua sumpsit). Prop. III 17, 31: cervix manabit olivo; cf. Lucr. IV 1149. (cf. Hidén: de cas. syntaxi Lucretiana; Helsingf. 1899 p. 90). madeo: IV 4, 76: madent divitiis; cf. Plaut. Men. 326; Verg. Georg. I 195; Cat. 68, 55. De Lucretio v. Hidén p. 89. (spumo: III 17, 17: dum modo purpureo spument mihi dolia musto; [spument: ς; numen: NDV; numerem: L; unie: F]). tumeo: IV 2, 14: coma fruge tumet; cf. Lucr. 4, 1045; Ov. met. 3, 33; Tib. 1, 8, 68. Dictioni „opus est" fortasse addit Propertius genetivum II 10, 12: magni nunc erit oris opus; quod Hoerle p. 56 comparat cum illo Graeco: *ἔργον ἐστί τινος*, ut Soph. El. 1373 (cf. Priap. 68, 34; Liv. 22, 51; Apul. met. 9, 39); cf. Schmalz p. 252, 4; Draeger I^{2} 571 § 249, 1; Kühner § 81 adn. 8. Sed haud scio an genetivus ab ipso substantivo „opus" pendeat. A poetis posterioribusque scriptoribus saepius etiam personae nudo ablativo praepositione a non addita scribuntur pro instrumento. Draeger I^{2} 547; cf. Hoerle p. 51; Wagner p. 19. I 13, 13: haec ego non rumore malo, non augure doctus (fort.: II 6, 6: Phryne tam multis facta beata viris; nisi est dativus. cf. supra p. 36; simile est II 22, 39: irata meo sit facta ministro); II 29, 41: sic ego tam sancti custode recludor amoris (reludor: N; recludor: DVo^{1}o^{2}; custode: NLo^{1}o^{2}; custos: DVo^{3}; custodis F; sed forma „custode" tenenda esse videtur, quia variorum generum codicibus traditur). III 22, 11: Colchum propellas remige Phasim. (Deorum nomina ita usurpantur pro re: I 3, 9; 8, 10; II 34, 56; III 11, 58; 13, 2 et saepius.) Contra non raro a nonnullis Augusteae aetatis poetis praecipue ab Ovidio et posterioribus (cf. Schmalz p. 271) additur etiam rebus praepositio „a". cf. Draeger I^{2} 548 § 230; Holtze, synt. Lucr. lin. p. 55; Streifinger, de synt. Tibull., Würzb. 1881, p. 20; saepius invenitur dictio: ab arte. Prop. I 16, 14: supplicis a longis tristior excubiis (cf. Rothst.). II 27, 11: quando periturus et a qua morte; III 2, 20: ab extrema condicione vacant; 23: ingenio nomen ab aevo excidet. III 11, 24 (cf. Thes. L. Lat. p. 33); 18, 1; 24, 25; IV 1, 126; 9, 24.

Ex adiectivis quibus addit Propertius ablativum profero haec: plenus (de quo iam verba feci p. 32); fertilis: I 22, 10: Umbria terris fertilis uberibus (cf. Plin. 6, 23, 26); gravis: II 26, 4: umore gravis comas; cf. Verg. ecl. 1, 36; Lucret. 6, 1150 (cf. Hidén p. 101). integer: IV 5, 59: rugis integer; cf. Ov. met. 5, 50; siccus: IV, 10, 12: spolia ...

non sanguine sicca suo (cf. Rothst.). Verg. Aen. 8, 261; 9, 64; umidus: I 16, 4: limina lacrimis umida.

Ablativus comparationis praecipue acceptus est poetarum dictioni; Cicero eiusque aequales praeter nonnullas dictiones praecipue negativas rarius habent hunc usum (cf. Schmalz p. 253, 92). Prop. I 6, 18: infido durius viro; 8, 2: gelida vilior Illyria; 9, 11: plus in amore valet Mimnermi versus Homero; 10, 14; 13, 30; 31; 16, 17; 29; 30; 19, 15; saepissimeque. Rarissime vero apud poetas ablativum comparationis pendere ab alio casu atque nominativo aut accusativo dicit Draeger (I² 565 § 246). — Prop. II 7, 20: hic erit et patrio sanguine pluris amor. cf. Hor. ep. I 10, 11.

Liberimum habet usum Propertius ablativi separationis. Quamquam iam comici interdum nominum appellativorum eiusmodi ablativum habent (cf. Brix. ad Trin. 266), tamen liberior ille usus initium cepit ab Augusteae aetatis poetis, unde in posteriorum dictionem inlatus est. Atque Propertius illum ablativum addit his verbis simplicibus: cado: II 32, 14 (ex: IV 1, 144; de: II 22, 12); fugo: III 3, 11 (e: II 33, 19); fundo: II 19, 30; labor: I 15, 29; cf. p. 38; mitto: II 33, 3; III 13, 5; peto: II 23, 2 (a: III 3, 51); pello (de Cic. usu v. Draeger I² 502: domo: foro: patria): IV 7, 79: pelle hederam tumulo (a: II 1, 70); solvo: (Cic.: — legibus — religione — cura — negotio —): Prop. I 8, 11: harena (IV 6, 41: metu; de: I 3, 21; II 1, 69). stillo: II 8, 26. surgo: II 22, 31 (de: II 26, 24; e: II 15, 14); venio: IV 7, 87; voluto: II 17, 8. Praeterea his verbis compositis addit eum ablativum: abeo: I 4, 2: domina cogis abire mea (qui ablativus ininsolentior est, quia agitur de persona). cf. Schmalz p. 255. abigo: III 15, 30; abscedo: IV 9, 53; avello: IV 1, 118; decutio: III 13, 27; deicio: II 31, 13; demitto: IV 1, 131; deprecor; II 34, 17; descendo: II 28, 37; desilio: II 16, 50; III 17, 26; detraho: IV 11, 10 (ab: II 33, 13); dimitto: II 28, 59; 29, 29; discedo: II 7, 7; dissideo: I 12, 4; divido: I 12, 10; egredior: I 20, 18; excido: III 7, 7; extollo: II 26, 11; prodeo: IV 1, 106; seveho: III 3, 21. Adverbio „procul“ non addunt praepositionem Horatius, Ovidius posterioresque (cf. Draeger I² 519 § 211), ut Propertius: III 21, 10: quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Omnium poetarum saepissime nudo ablativo loci nominum appellativorum, quibus addidit attributum, uti videtur Propertius. Nonnullos locos afferam: I 1, 14: Arcadiis rupibus; I 6, 2: Aegaeo salo; I 18, 28: inculto tramite; I 20, 9: Gigantea ora; 10: vago fluminis hospitio. IV 1, 123: cavo campo; IV 4, 3: hederoso antro; saepissimeque; omnino LXIV eiusmodi exempla esse videntur. Cicero eum usum habet, si addit substantivo attributum „totus, medius“. Propertius nominibus cum adiectivo „totus“ coniunctis septies non addit praepositionem, addit quinquies (II 26, 22; 29, 37; 32, 24; III 11, 72; IV 3, 31), quod interdum etiam apud Ciceronem invenitur (cf. Draeger I² 524). Apud adiectivum „medius“ Cicero praepositionem totiens omittere quotiens addere videtur; Propertius bis addit, octies

omittit praepositionem. Sed vulgaris sermonis est nominum appellativorum, quibus non additum est attributum, uti ablativo loci (cf. Schmalz p. 255, 94, adn. 2); nam invenitur ap. auct. b. Hisp., Vitruv., Hygin., Hirtium, interdum apud nonnullos poetas, ut Catullum (cf. Hor. sat. I 5, 9; Tib. I 5, 53), apud recentiores, ut Apuleium, Frontonem. De priscorum usu v. Draeger I² 520; cf. praeterea p. 522; Holtze I 75; de Lucreti usu v. Hidén, de casuum synt. Lucret. II p. 6—19, qui illos locos, quibus nomini attributum additur, non discernit ab hoc vulgaris sermonis usu; exstant apud Lucretium hi loci: 7, 471: litore (Hidén p. 8); corpore: 2, 678 (p. 12); fortasse: 4, 1031: membris (p. 14). Saepius hic usus apud Propertium observatur (omitto abl. terra, terris, mari, similia, quia apud Cic. quoque inveniuntur): I 9, 21: medullis; I 10, 8: caelo; 14, 5: vertice; 16, 40: trivio; II 3, 6: ponto; 15, 52: calathis; III 10, 5: aere; III 18, 3: harena; IV 2, 45: pratis; IV 6, 19: aequore; IV 7, 19; trivio; fort.: IV 10, 36: plano. Sed voci: „loco“ addit saepius Propertius praepositionem „in“, qui usus certe abhorret ab optimorum scriptorum consuetudine. De Apulei usu v. Leky p. 30. — Prop. II 28, 50: in superis locis; II 30, 16 locus, in quo . . .; III 15, 40: in multis locis. Praeterea Propertius verbis ponendi semper fere addit nudum ablativum, quibus Cicero addit praepositionem „in“ (cf. Kühner § 79 adn. 5). De simili nonnullorum aliorum poet. usu v. Preising, de L. Ann. Senecae poet. trag. casuum usu rat. potiss. habita Verg., Ovid., Lucani, diss. Monast. 1891, p. 35. Propertius quidem verbo: „pono“ addit nudum abl. his locis: I 3, 22; 17, 22; II 9, 45; 11, 2; 16, 3; IV 10, 28 (cf. Verg. Aen. 11, 67; 2, 172); sex locis addit praep. Depono: I 13, 17; propono: III 3, 23 (cf. II 9, 12: propositum fluviis in Simoenta vadis). loco: III 16, 25; consisto: I 20, 21; figo: II 13, 2; 14, 25. — Denique Propertius saepius nudum ablativum loci scribit ad significandam propinquitatem, ubi exspectamus praepositiones „ad“ aut „prope“, ut: I 7, 23: nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro; I 14, 1; abiectus Tiberina unda . . . bibas; I 15, 10 Calypso desertis fleverat aequoribus; II 2, 11: Mercurio Ossaeis fertur Boebeidos undis Brimo composuisse latus; II 13, 55: illis iacuisse paludibus; II 26, 57: quid mihi si ponenda tuo sit corpore vita? (cf. Rothst. adnot). IV 3, 10; 4, 3; IV 11, 64. Certe hic usus inde explicari potest, quod saepius Propertius praepositionem „in“, cuius loco usurpat nudum ablativum, scribit pro praepositione „ad“, „apud“ ad significandam propinquitatem. v. infra p. 47.

Congruit cum Properti sermonis familiaris indole, quod ablativo temporis addit praepositionem „in“; cf. Schmalz p. 256, 95, adn. 2; Draeger I² 523; Kühner p. 264, 8; Leky p. 30. — Prop. II 15, 39: fiam immortalis in illis (noctibus); II 23, 11; in toto vertitur anno; IV 7, 73: nutrix in tremulis ne quid desideret annis.

(Uno loco nudo ablativo Propertius significat tempus, intra quod aliquid fiet: II 19, 18: venturum paucis me tibi Luciferis).

5. De locativo.

Pro forma „heri" Propertius argenteae latinitatis consuetudine scribit „here": II 22, 1. cf. Lindsay-Nohl, lat. Spr. p. 454 sq. Praeterea archaice scribit: Praenesti: II 32, 3; Tiburi (codd. NL; ceteri: Tibure) l. III 16, 2. cf. Schmalz p. 259.

e) De praepositionibus.

cf. de hac parte Spandau, de sermone Propertiano; Lips. 1889.

1. de praepositionibus cum accusativo coniunctis:

Ad:

Interdum verbis addit Propertius hanc praepositionem, apud quae movendi notio mente auditur, ut: IV 1, 70: has meus ad metas sudet oportet equus; IV 3, 62: succincti calent ad nova lucra popae. — Sermonis familiaris est praepositione „ad" uti pro „apud" (cf. Schmalz p. 261, 101). De comicorum et Apulei usu cf. Leky p. 25; Dtz.-Haul. ad Phorm. 598; de Cic. in epp. usu v. Müller: praef. Cic. III 2 p. 229, 6; 298, 8; Arch. Lex.: 13, 361; Thes. L. Lat, I 519; Rönsch, Itala u. Vulgata, Marburg 1875, p. 390. Creberrimus hic usus est apud Propertium, qui praepositione „apud" uno tantum loco II 28, 49 utitur. — Prop. II 2, 7: Pallas spatiatur ad aras; II 9, 29: quid si retinerer miles ad Indos; II 18, 11: ad vicinos cum quiesceret Indos; 22, 16: et Phrygis insanos caeditur ad numeros; II 32, 23: nuper de te nostra ad auris rumor fuit; 34, 38: qualis fuerit Arion, tristis ad Archemori funera victor equus; III 3, 47: coronatos alienum ad limen amantis ... canes; III 6, 14: scrinia ad lecti clausa iacere pedes; 11, 60: Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes; 8, 1: dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas; 14, 7: pulverulenta ad extremas stat femina metas; 22: licet in triviis ad latus esse suae; 16, 24: custos ad mea busta sedens; 17, 36: tundet ad Idaeos cymbala rauca choros; IV 4, 33: ad vestros sedeam Penatis; IV 8, 42: iactabat truncas ad cava buxa manus; 48: Lanuvii ad portas solus eram; 50: levia ad primos murmura facta Laris; 68: Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens. cf. Holtze I 208, 10. Cic. fam. 9, 1, 2; 11, 18, 5: ad omnia deorum templa; Att. 12, 36: ad villam fortasse eras; 8, 3, 6; 10, 4, 8. — Interdum praepositionem „ad" usurpat Propertius pro „in" c. abl. ut Liv.; quae res eam habere causam mihi videtur, quod in sermone familiari praepositio „apud" adhibetur pro praepositione „in"; Propertius autem semper pro praepositione „apud" habet „ad" nisi uno loco (v. supra). De praepos. „apud" eiusmodi vulgari usu v. Leky p. 25; cf. Liv. 42, 12, 6: ad Delum. — Prop. II 1, 7; vidi ad frontem sparsos errare capillos; III 14, 9: ligat ad caestum brachia (cf. Spandau, de sermone Propertiano, Leipzig 1889, p. 36). III 3, 14; aurata nixus ad antra lyra; 7, 19: ad saxa ligata vincula; IV 1, 110: haerentis ad pia saxa ratis; IV 2, 39; pastorem ad baculum possum curare. 3, 58: crepat ad veteres herba Sabina focos. — Saepius praepositione „ad" Propertius id significat, ad quod pertinet

vis praedicati aut adiectivi, ut II 10, 3: fortes ad proelia; II 22, 20: ad formas caecus; II 16, 21; 13, 42; IV 1, 51; 2, 29; 9, 40. Sed ne a Ciceronis quidem sermone plane alienus esse videtur hic usus. — Uno loco II 24, 15 praepositio „ad“ est pro praepositione „contra“: Lernaeas pugnet ad hydras. — Omnino huius praepositionis usus in sermone familiari, praecipue a posterioribus valde augebatur (cf. Schmalz p. 261). Velut „ad“ significat causam (cf. Thes. L. L. I 552): — Prop. III 2, 5: Galatea ad tua carmina flexit equos; 4, 14: ad vulgi plausus saepe resistere equos; IV 11, 2: panditur ad nullas ianua nigra preces. Iam vero sensu instrumentali praepositio ad usurpari videtur a Propertio: IV 1, 24: pastor ad calamos exta litabat ovis (i. c. ad sonitum calamorum fistulae. — Praecipue autem ille usus sermonis vulgaris est, quo usurpatur praepositio „ad“ pro simplici dativo. cf. Schmalz p. 261; Lindsay p. 83; Leky p. 25. — Prop. I 18, 30: quodcumque . . . cogor ad argutas dicere solus avis (at tribrachyn: ăvĭbŭs Propertius metro dactylico inserere non poterat; cf. p. 37;). II 20, 30: de te quodcumque, ad surdas mihi dicitur auris; IV 5, 47: ianitor ad dantis vigilet (ubi fortasse commoditati concedebat eum usum [cf. Bednara p. 49]; nam si dativi „dāntĭbŭs“ syllaba ultima positione longa facta erat, ut hoc loco, metro dactylico creticum illum inserere non poterat). Fortasse his addere licet hunc locum: IV 11, 83: nostra ad simulacra loqueris (cf. I 15, 12: iniusto multa locuta salo; cf. p. 33; sed hoc quoque loco propter metrum dativo uti non poterat poeta, quia ionicus a minore „nostris sĭmŭlācrīs“ hexamatro non nisi in quarto aut sexto pede immitti potest (cf. Bednara p. 7).

Ante:

praepositione uti pro adverbio locali raro poetas et Livium invenies (cf. Schmalz p. 262, 103), ut Prop.: III 16, 16: ipse Amor accensas percutit ante faces; fort.: IV 2, 46: quin impositus fronti langueat ante meae, (cf. Rothst.). — Sane abhorret ab optimorum scriptorum usu, praepositione „ante“ uti, ubi motus significatur, qui usus invenitur apud poetas comicos, auct. ad Her., Tib., Ovid., Livium posterioresque, non apud Ciceronem (cf. Schmalz p. 262, 103); Draeger I² 598 exempla profert e comicis, Livio, auctore ad Herennium; v. Thes. L. L. I 132, 2. cf. Plaut. Rud. 1047: quae me paelices adduxisse dicet ante oculos suos; Liv. 8, 10, 2: ante signa procedere. — Prop. I 16, 43: ante tuos quotiens verti me postis (cf. Spandau, de sermone Propertiano p. 36). II 10, 22: ponitur hac imos ante corona pedes; IV 2, 56: transeat ante meos turba togata pedes.

Pone — post:

adverbio „pone“ utitur Propertius l. III 15, 28: credebat dominae pone venire pedes; cf. Lucil. 292 B. cf. Verg. Aen. 2, 208; georg. 4, 487. — Raro apud Sallustium, Horatium, Ovidium posterioresque de re praeferenda usurpatur, ut Prop.: II 3, 32: post Helenam haec terris forma secunda redit.

Propter:

praepositionem ut posteriores (cf. Draeger I² 590 § 258, 3) sensu finali usurpat Propertius l. II 9, 25: haec vota tuam propter suscepta salutem.

Inter:

praep. significat motum inde a Vergilio apud Livium, Pomp. Mel., Quint., Gell., Ammian., ut Prop. IV 8, 53: pocula mihi digitos inter cecidere remissos.

Per:

Ut Sallustius, Augusteae aetatis poetae, Livius, Tacitus, ita Propertius utitur hac praepositione ad significandum instrumentum, ut: III 7, 30: per humanas mors acta manus; IV 3, 20: et struxit querulas rauca per ossa tubas. Propter creticum, quem ablativi efficiunt, his locis praepositione fortasse utitur Propertius: III 14, 5: pila veloces fallit per bracchia iactus (brăcchĭīs); II 28, 15: per multa pericula (perīcŭlīs). Loco III 9, 26: „onerare fixa per arma“ fortasse spondeos: „fīxīs ārmīs“ vitare voluit poeta; praeterea sensu instrumentali utitur hac praepositione: III 2, 3; 18, 14; 19, 5; 7, 30; IV 3, 7; 8, 45; 9. 68.

2. De praepositionibus cum ablativo coniunctis:

A, Ab:

In universum hac praepositione perspicuitatis causa saepe utitur sermo cotidianus, ubi optimi scriptores eam omittunt (cf. Schmalz p. 271, 124), quem usum posterioris aetatis scriptores interdum secuti sunt. Velut „ab“ significat causam apud Lucretium, Ovidium, Varronem, Livium; cf. Balb. ap. Cic. Att. 9, 7 B, 3: me ab singulari amore ac benevolentia, quaecumque scribo, scribere; Hygin. 48, 24: ab serpentis morsu obiit; Plaut. Truc. 47: bis perit amator, ab re atque ab animo simul. Apul. Met. 4, 21; cf. Thes. L. L. I 28. — Prop. I 16, 14: supplicis a longis tristior excubiis; II 27, 11: quando periturus et a qua morte; III 2, 23: nomen ab aevo excidet; III 9, 59: a te est, quod ferar . . . (i. e. tu causa es . . .). III 24, 26: ab insidiis flere soles; IV 1, 126: murus ab ingenio notior ille tuo; 2, 28: nomen ab eventu dedit; 10: Vertumnus verso dicor ab amne; 3, 39: quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu. IV 7, 75: Latris, cui nomen ab usu est; 10, 18: qui tulit a parco frigida castra lare (quia lar parcus erat). — De praepositione „a“ instrumentum significante dixi supra p. 40. — Similiter cum sermonis familiaris usu comparo hunc locum: III 3, 38: ut reor a facie Calliopea fuit; cf. Leky: p. 27; Cic. ad Att. 5, 18, 2; Hor. sat. 1, 3, 129 (cf. Schmalz 170, 124).

De:

Sequitur poetarum morem Propertius eo, quod interdum originem significat hac praepositione, ut: II 1, 16: de nihilo nascitur historia; id. II 3, 16 (II 16, 52?); III 9, 1: Maecenas eques de sanguine regum;

III 1, 3; II 29, 17; IV 2, 41. — In sermone familiari, praecipue apud posteriores praepositio „de“ coniuncta cum ablativo magis magisque genetivi vices tenere videtur, imprimis genetivi partitivi. cf. Schmalz p. 271, 125. De Plauti usu v. Draeger I² 628. (Cicero certis in locutionibus habet.) — Prop. I 5, 26: quam cito de tanto nomine rumor eris. IV 1, 133: pauca suo de carmine. Similiter hac praepositione significat ordinem, in quo quis ponendus sit: II 24, 30: tibi de timidis iste protervus erit. — Sensu modali usurpat hanc praepositionem II 3, 13: de more (saepius apud poetas et posteriores; cf. Draeger I² 630 § 286, 6). Cum loco II 16, 52: „nec sic de nihilo fulminis ira cadit“ iure comparare mihi videor similem comicorum usum, ut: Plaut. Curc. 478: qui alteri de nilo audacter dicunt contumeliam. cf. Hand Turs. II 219; Leky p. 29. Denique sermonis familiaris usum secutus Propertius hanc praepositionem usurpasse videtur pro dictione „quod attinet“, quod apud poetas comicos, Cic. in epp. et scriptis prioribus, Livium saepius invenitur. cf. Draeger I² 631. — Prop. II 18, 29: de me, mihi certe poteris formosa videri; 32, 21: sed de me minus est. — Haud scio an ut poetae comici, Ovidius, posterioresque sensu causali quoque adhibeat hanc praepositionem. cf. Leky p. 28; Draeger I² 630 § 286, 7; — Prop. II 20, 3: quidve mea de fraude deos, insana, fatiges? IV 11, 81: sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges.

E, Ex:

Significantius dicit Propertius (cf. Spandau p. 43): II 12, 10: pharetra ex umero utroque iacet; similiter IV 6, 40; 10, 11. — Sermonis familiaris est ablativo modi per abundantiam addere praepositionem „ex“; cf. Leky p. 27. — Prop. III 17, 15: ex ordine. Eadem praepositio sensu causali dicta est II 1, 50: et totam ex Helena non probat Iliada; cf. Plaut. Trin. 1049: quippe eorum ex ingenio ingenium horum probant. Denique instrumentum significatur hac praepositione ut in sermone vulgari, praecipue apud posteriores. — Prop. IV 3, 4: haec erit e lacrimis facta litura meis. cf. auct. b. Afr. 46: qua ex re commotus; 57, 72; Gell. VII 3, 47; Lact. I 9, 6.

Prae:

Certe abhorret ab optimorum scriptorum dictione, praepositione „prae“ in sententiis affirmativis significare causam. cf. Schmalz p. 273, 129; Holtze I 345, 4c; Draeger I² 641; Lindsay p. 35, 61 et 90. Leky p. 27; Thielmann, Stilistische Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros, Zeitschrift f. d. bayr. Gymn. 1880, 16 p. 355 de auct. ad Her. — Eundem usum fortasse habet Propertius II 26, 15: prae invidia (prae: DVF; ob: NLv; decernere vereor; illud in contextum recepit Baehrens).

Pro:

Ut recentiores (cf. Schmalz p. 273, 130), ita iam Propertius fortasse praepositione „pro“ sensu finali utitur: II 28, 43: pro quibus

optatis sacro me carmine damno (ut ea, quae opto, fiant). — Id autem sermonis familiaris est, quod Propertius qualitatem quandam hac praepositione indicat: I 10, 24: pro vano verba cadant. cf. Plaut. Men. 298; 927; Pers. 637; Ter. Ad. 23; Cic. ad Qu. fr. I 2, 14; Liv. 1, 14; 3, 47; Ovid. her. 3, 98: pro nullo pondere verba cadunt.

3. De praepositionibus cum accusativo et ablativo coniunctis:

In:

Imprimis poetarum proprium est praepositione „in", non „apud" significare propinquitatem; cf. Schmalz p. 275, 136; Holtze I 81c; cf. supra p. 42. — Prop. I 3, 6: in herboso concidit Apidano (cf. Rothst. adn.). III 18, 10: errat in vestro spiritus ille lacu; III 18, 8; I 5. 30; 1, 11; 2, 11; 10, 2; IV 11, 64. — Eeodem sensu huic praepositioni addit accusativum Propertius II 1, 2: venire in ora; 9, 12: propositum in Simoenta. — Praecipue in sermone familiari, quem nonnulli poetae secuti sunt, praepositio „in" sensu finali praedita est. cf. Plaut. Most. 122; 123; Mil. 832; Ter. Andr. 369; 546; Cic. Att. 15, 1; cf. Leky p. 30; Leo ad Culic. 288; Norden ad Aen. 6, 51. — Prop. II 20, 11: in te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas; III 3, 34: exercent teneras in sua dona manus; 35: haec hederas legit in thyrsos; 9, 18: est quibus in celeres gloria nata pedes; 56: Antonique gravis in sua fata manus; 17, 24; 38; 18, 18; 22, 38; 24, 19; IV 5, 48; 71. — Ut apud Vergilium, Ovidium, posterioresque (cf. Schmalz), ita apud Propertium vi consecutiva haec praepositio praedita est. cf. Draeger I^2 655. — Prop. II 31, 3: tanta erat in speciem digesta . . .; III 22, 14: in faciem prorae pinus adacta novae; IV 3, 48; 6, 25; 30; 7, 68; 11, 82 (cf. Rothst.). — Saepe Propertius hac praepositione causam significat, ut I 3, 44: externo in amore moras (cf. Rothst.); 6, 27: multi periere in amore; I 13, 7: perditus in quadam; II 4, 28: gaudeat in puero (cf. Cat. 22, 17 gaudet in se). I 18, 8; II 9, 35; 8, 36; 18, 2; III 8, 28; 12, 15; IV 8, 63; 11, 20. — Sed apud ipsum Ciceronem hic usus invenitur, etsi praecipue apud poetas. cf. Draeger: I^2 651 § 298, 7; ex aliis nonnulla iam collegit Hertzberg adn. Prop. I 13, 7. — „In" sensu instrumentali a recentioribus demum usurpari affirmat Schmalz p. 275; sed similem usum iam apud Propertium invenisse mihi videor his locis: I 2, 6: sinere in propriis membra nitere bonis; II 9, 14: in parva sustulit ossa manu; 15, 11: in caeco Venerem corrumpere motu; 27: iunctae in amore columbae; III 1, 7: Phoebum moratur in armis. cf. Rothst. II 19, 31: ego in assidua mutem tua nomina lingua; III 9, 11: in Veneris tabula summam sibi poscit Apelles; III 11, 27; 17, 23; 18, 16: tot bona tam parvo clausit in orbe dies (cf. Preising de Sen. cas. usu, Monast. 1891 p. 36, saepius ap. Ovid., semel ap. Sen.); (fort. IV 1, 27); IV 2, 42. — De ablativo temporis, cui additur praep. „in" v. p. 42. De eo usu, quo substantivo „locus" additur „in" v. ibidem. — Similiter sermonem familiarem sequitur Propertius hoc usu: III 9, 60: in partis fuisse tuas; haud scio; an huic loco hoc quoque addere liceat:

III 5, 30: in nubes unde perennis aqua. sed cf. p. 10. De simili praepositionis „ad“ usu supra p. 43. — cf. Plaut. Amph. 180: numero mi in mentem fuit; Bacch. 159; cf. Holtze I p. 208, 10; Schmalz, Über die Latinität d. P. Vatinius i. d. bei Cic. ad fam. V 9 u. 10 erhaltenen Briefen; Mannheim 1881, p. 47. — Denique alienum ab eleganti dictione est verbis ponendi addere praepositionem „in“ coni. c. acc., ut Prop. II 9, 12: propositum in Simoenta (propositum: NF; appositum: DV.). IV 4, 37: in mea castra reponet (Cic. in formula: in numerum); cf. Cic. ad Att. 5, 3, 3: apud Lentulum ponam te in gratiam. 5, 11, 6; 6, 1, 22; 6, 6, 4; Liv. 38, 35, 4. Liv. 29, 19: pecuniam in thesauros reponi; Lampr. Al. Sev. 46: in aerarium. Holtze I p. 85 et 206.

Sub:

Poetarum more Propertius hac praepositione significat propinquitatem, ut: II 25, 17: sub limine (sublimine: N; sublumine: DVF; sub limine: L); II 27, 13: sedeat sub harundine remex; I 20, 33; 35; III 9, 36; quocum usu comparo hos locos: I 14, 12: legitur rubris gemma sub aequoribus (cf. Rothst.: nicht „unter dem Meere“, sondern „unten im Meere“.); I 15, 31: sub nostro mutetur pectore cura (cf. Theocr. 7, 99: *παιδὸς ὑπὸ σπλαγχνοισιν ἔχει πόθον*). II 32, 39; IV 5, 22. cf.: sub antro Hor. c. I 5, 3; II 1, 39. — Deinde more poetarum ordinem hac praepositione significat II 1, 26: Caesare sub magno cura secunda fores; cf. Draeger I² 661 § 299, 1 d. — Abhorret certe ab optimorum scriptorum genere dicendi id, quod causam hac praepositione exprimit Propertius, ut saepius recentiores. cf. Schmalz p. 276, 137. cf. Celsus 5, 26, 31: sub frigido sudore moriuntur; — Prop. IV 5, 62: vidi rosaria sub matutino cocta iacere Noto (cf. Spandau p. 48). II 9, 49: divis cecidere sub armis; 28, 35: deficiunt magico torti sub carmine rhombi (sensu modali). — Sed facere non possum, quin etiam hunc locum, ubi vel accusativus huic praepositioni eodem sensu additur, eodem modo intellegam III 9, 52: crescet ingenium sub tua iussa (infolge . . .). Ita iam Propertius ut in praepositione „in“ ita in praepositione „sub“ accusativum et ablativum discernere non videtur (i. e. motum et quietem), quod saepius apud recentiores demum fit et sermonis familiaris proprium fortasse est. — Sensu dilucidiore Propertius huic praepositioni addit accusativum his locis: I 18, 21: a quotiens teneras resonant mea verba sub umbras (cf. Rothst.; Verg. Aen. IV 494; XII 579); IV 4, 55: pariamne tua sub aula? cf. Cat. 64, 271 (cf. Overholthaus p. 36).

Super, subter:

praepositioni „super“ poetarum more addit Propertius abl. I 21, 9; cf. Hor. c. I 12, 6; — „subter“ praep. ap. Cic. duobus locis invenitur (cf. Draeger I² p. 664 § 301), saepius apud poetas, ut Prop. II 34, 67; III 4, 18 coni. c. acc.

4. Omnino de praepositionibus haec addo. Numquam Cicero vel Caesar praepositiones nominibus aut aliis pronominibus atque relativo

postponunt; liberior autem usus est poetarum; qui quantopere metro coacti sint aut quam multa commoditati concesserint, exponit Bednara p. 13. Propertius autem eum usum habet: I 4, 21: te circum; IV 6, 6: focum circa laneus orbis eat („circă fŏcūm lāneus . . .“ collocatio creticum efficit); I 16, 13: has inter („intĕr hās“ metro inserere non poterat). IV 7, 25: me propter; I 20, 26: hunc super et Zetes, hunc super et Calais; IV 6, 29: puppim super. Insolentior autem est hic locus, quo praepositio monosyllaba nomini postponitur, quia facile hac collocatione dactylum efficere poterat poeta: IV 7, 4: Mūrmŭr ăd extremae . . . viae (talia etiam apud Lucretium inveniuntur, numquam ap. Ov., Verg., Hor., Tib. cf. Schmalz p. 278). Certe etiam saepius metro commotus est Propertius, ut dirimat praepositionem a nomine, velut: II 9. 18: inter et arma (īntĕr ārma) sim. — Spectat ad abundantiam sermonis, si repetit praepositionem hoc loco: II 31, 15: inter matrem interque sororem. cf. Hor. sat. I 7, 11, et adn. Kießl., ut ep. I 2, 11.

f) De verbo infinito:

1. De infinitivo:

Ad totam hanc partem cf. Senger, Über den Infinitiv bei Catull, Tibull u. Properz, Speier 1886, qui multa quidem collegit, sed cum aliorum usu praeter illos elegiarum poetas non comparavit. — Sed in medias res ut veniamus, recte graecanicum id esse putare mihi videntur viri docti, quod totiens poetae et argenteae latinitatis scriptores addunt infinitivum adiectivis. cf. Schmalz p. 281 § 144, adn. 1; Draeger II 353; Brenous p. 321. Kübler, de infinitivo ap. Rom. poet. a nominibus adi. apto. Berl. 1861; Wagner p. 33. Primum igitur mihi licebit ea adiectiva enumerare, quae ita usurpantur a Propertio: audax: IV 5, 13: audax leges imponere; cupidus: I 19, 9: cupidus attingere; facilis: I 11, 12; II 21, 15; IV 8, 40: facilis spargi rosa; inops: II 10, 23; lassus: II 13, 28; 15. 46; 33, 26; mobilis: IV 10, 42; nescius: I 16, 20; IV 1, 76; serus: III 5, 35.

Alienum ab optimorum scriptorum usu est verbis motum indicantibus addere infinitivum finalem, qui usus invenitur apud Plautum, Terentium, Varronem, interdum apud poetas priscae linguae imitatores, apud posteriores, ut Hygin., Apul., Valer. Max. cf. Schmalz p. 282, 145; Draeger II 351; Holtze II 31; Leky p. 32; Lindsay p. 74; Barth, de infinitivi apud scaenicos poetas latinos usu, Berlin 1882, p. 13. — Prop. I 1, 12: ibat videre; 6, 34: carpere ibis; II 16, 17: mittit me quaerere; I 20, 23: processerat quaerere; IV 1, 71: ruis dicere; III 1, 3: ingredior ferre; I 21, 1: properas evadere; id. I 5, 4; II 23, 19; III 21, 21. Similiter verbo dandi addit infinitivum Propertius: II 22, 18: mihi fortuna aliquid semper amare dedit; III 11, 64: est cui cognomen corvus habere dedit. cf. Holtze II 31; Lindsay p. 74, 34. — Argenteae latinitatis scriptores, praecipue Vitruvius, eiusdem

verbi formae passivo addunt infinitivum (cf. Schmalz p. 283, 145). item Prop.: III 1, 14: non datur ad Musas currere; II 1, 47.

De infinitivo addito verbis causativis haec habeo quae afferam: poetarum more verbo faciendi Propertius addit infinitivum: II 12, 6: fecit volare deum; cf. Verg. Aen. 8, 630; 709; — Sed abhorret ab eleganti dictione verbis iubendi addere infinit. simpl., ut Prop.: IV 8, 85: imperat mutare lucernas; IV 7, 91: iubent leges reverti; II 13, 4: iussit habitare; II 16, 18: iubet tollere; 29, 11: iubet propellere; cf. Holtze II 33; Leky p. 33 (cf. Prop. I 16, 11: illa suae revocatur parcere famae et vivere . . .).

Deinceps transgrediamur ad verba auxiliaria, quibus additur infinitivus, atque incipiamus a verbis, quae voluntatem aut cupiditatem quandam exprimunt, ubi poetarum more addit infinitivum verbis his: memini: I 1, 18; 10, 26; II 25, 33; quaero: II 14, 13 (Draeger II 301). tempto: II 34, 73 (Draeger). suesco: IV 10, 17 (Draeger II 334). Sed congruenter cum sermone familiari his addit verbis infinitivum: cogito: II 26, 29: cogitet ire (cf. Cato r. r. 1: parare cogitabis; Plaut. Amph. 319: hic me quasi exossare cogitat; Pseud. 475; ap. Cic. in epp. Schmalz p. 284, 149a); Draeger II 301; meditor: II 2, 1: meditabar vivere; III 4, 1: medidatur . . . findere; ap. Cic. in epp. (Schmalz). Ter. Ad. 896; „gaudendi" verbo quod addunt Vergilius, Horatius, Ovidius infinitivum, sequuntur veteres. cf. Schmalz. — Prop. I 3, 23: gaudebam formare; II 1, 8: gaudet ire; saepius ap. Terent., Hor. sat. II 8, 62; Lucr. 3, 614; Draeger II 332 § 425.

Praeterea Propertius ut Plautus, Terentius, Cic. i. epp. verbo „minitor" addit infin. praes. Schmalz p. 289, 153, 4; Ter. Hec. 427: quod nunc minitare facere; — Prop. III 8, 7: tu minitare oculos subiecta exurere flamma. Nec minus addit Propertius infinitivum illis verbis, quae horum contrarium significant; atque poetarum quidem sequitur usum his locis. caveo: II 17, 17: dominam mutare cavebo (cf. Cato r. r. 20; Cat. 50, 21; ceterum raro apud poetas); cf. Draeger II 322; fero: III 7, 47: non tulit haec, audire . . . (cf. Ov. her. 5, 12); fugio: II 9, 52; quam structuram valde in deliciis habent poetae. Schmalz p. 285; desum: I 16, 7, „et mihi non desunt turpes pendere corollae . . . et iacere . . . faces", quam structuram Schäfler p. 81 graecismum putat. De simili Taciti usu Draeger, II 326, i. Idem graecanicum esse hoc putat: I 8, 23: nec me deficiet rogitare; — simulo: I 5, 73; cf. Ov. met. 2, 697. fort. Properti proprium est: cedo: I 9, 28. Sed congruenter cum sermone familiari Propertius his verbis addit infinitivum: cesso: I 12, 1: desidiae non cessas fingere crimen; cf. Plaut. Pers. 112; 197; 551; Curc. 672; saepius etiam ap. Ter.; Cic. Att. 11, 11, 2: non cessat de nobis detrahere; parco: II 5, 18: parce nocere tibi; I 15, 26; III 15, 43: tu parcas vexare; quae structura invenitur ap. priscos, ap. Ovid., Livium, recentioresque. Schmalz p. 285. Lindsay p. 74; cf. Cato r. r. 1; Plaut. Bacch. 910; Ter. Hec. 282; metuo: I 14, 19: neque Arabium metuit transcendere limen nec timet . . . subire; apud priscos,

Liv., Curt. (Schmalz p. 285); Draeger II 328 (cf. Plaut. Bacch. 65; Pseud. 304; Most. 1125; auct. ad Her. 4, 18, 25).

E verbis facultatem quandam indicantibus (velut posse) haec omittere nolo; poetarum more addit infinitivum verbo „valeo": I 14, 7; III 22, 35; novi: II 15, 30; 25, 38, 28, 18; III 23, 5. Verbo „convenio" personaliter usurpato infinitivum addit pro dictione „convenit" ab aliis usurpata (cf. supra p. 15): II 1, 41: nec mea conveniunt praecordia... condere... Verbo „vinco" addit infinitivum I 9, 5. Schmalz p. 285 b.

Transeamus ad infinitivum verba impersonalia sequentem. Valde dubitari potest, an iam apud Plautum et Terentium impersonali verbo „est" addatur infin. (e quibus locos dubios profert Lindsay p. 73); certe iam a Varrone et Lucretio; ubi primum haec loquendi ratio invenitur, semper additur infinitivus, qualis „videre, cernere" (ἔξεστι ὁρᾶν), (cf. Wölfflin, Arch. Lex. II 135), ut etiam apud illos. Sed verum graecismum putare non possum, primum quia fortasse iam apud comicos invenitur et alios scriptores priscos, deinde quia in deliciis eam habet Gellius ille archaista (Schmalz p. 286, 150). Id concedo ex analogia sermonis Graeci apud posteriores fortasse hunc usum auctum esse, ut iam a Vergilio et Horatio. Propertius huic verbo addit infinitivum, ut significet quod indicat verbum 'licet'. II 10, 21: non est tangere; II 20, 13: ne tibi sit adire; III 14, 30; cf. II 7, 13; Senger p. 34; Wagner p. 29; Norden ad Aen. VI 596. Eidem verbo addit infinitivum si est pro verbo „accidit": III 3, 41: nil tibi sit ... flere ...; Draeger II 293, qui profert exempla e Vergilio et Tibullo. E ceteris verbis impersonalibus profero haec: „iuvat": II 17, 13; 19, 18; 22, 44; III 5, 19; 21; 16, 30; IV 11, 96 saepiusque, quam structuram poetae et argenteae latinitatis scriptores in deliciis habuerunt. cf. Schmalz. vacat: I 11, 13; levat: I 9, 34.

Ex aliis locis, quibus infinitivus subiecti locum habet, hi omittendi mihi non esse videntur: IV 1, 36: Fidenas longe erat isse vias; 4, 29: et simulare virum pretium facit. Cf. praeterea hos locos, quibus notionis explicandae causa addit infinitivum Propertius: I 5, 20: discere, quid sit abire domum; II 17, 2: hoc erit infectas sanguine habere manus; II 30, 34; 33, 8.

Iam vero congruenter cum sermonis familiaris usu apud Propertium interdum appositionis locum tenet infinitivus „praemissis fere illis, quibus sequentia commonstrentur: „id, hoc, tantum, sic" et si qua sunt ex his conflata vel alia eiusdem generis". Cf. Stinner, de eo, quo Cicero in epp. us. est, sermone, III 11, qui multos locos e Ciceronis epp. profert. Prop.: III 7, 47: non tulit haec, audire et laedere —; IV 7, 33: hoc etiam grave erat, hyacinthos inicere et busta piare; IV 11, 36: hoc, uni nupta fuisse, legar; similiter accus. c. inf. ita usurpat: II 15, 1: hoc verum est tota te ferri Roma et non ingrata vivere nequitia?

Sed transeamus ad structuram accusativi cum inf., quae vocatur; atque incipiamus a verbis affectuum, quibus additur, quorum

numerum Augusteae aetatis poetae aliquantum auxerunt: fleo, verbo addunt acc. c. inf. Vergilius, Horatius, Tibullus, ut Prop. I 7, 18: agmina flebis surda iacere. II 27, 7; III 9, 37; cf. Schmalz p. 288, 152. ploro: Prop. ut Horatius (cf. Schmalz): II 23, 17: quod te ploret dedisse pater. Sed haud scio an sermonis familiaris sequatur usum Prop. hoc loco: II 8, 30: cessare pertulit arma sua; cf. Plaut. Most. 1170; Tac. hist. 4, 58; Min. Fel. 37, 4.

Insolentiorem usum habet Propertius, quod addit verbis sentiendi et declarandi hanc structuram; velut poetarum more addit verbo laudandi I 7, 11 (cf. Rothst.); rarissime ab aliis auctoribus verbo „nosco“ additur; cf. Draeger II 382; Prop. III 1, 25: nosceret arces fluminaque cominus isse. Verbo „peiero“ primus Propertius addit acc. c. inf.: IV 3, 42: peierat hiberni temporis esse moras; praeterea invenitur apud unum Sueton. Ner. 28, 2. Fortasse his quoque verbis primus addit hanc structuram Propertius: specto: II 19, 11 spectabis ... vitem ponere comas; increpo: IV 11, 60: sua nata dignam vixisse sororem increpat. — Sed sermonem familiarem secutus his fortasse verbis addit acc. c. inf.: aspicio: II 30, 27: aspicies haerere sorores et canere. Schmalz p. 288, 153; experior: II 22, 23: experta puella officium valere. cf. Plaut. Truc. 529; mandata reporto: III 6, 37: mandata reporta iram, iram non fraudes esse in amore meo (cf. Pomp. ap. Cic. ad Att. ep. 8, 12, c 2: „mandata dare“; cf. Opitz: quo sermone ei, qui ad Cic. e. ded., usi sint. Progr. Naumburg 1879 p. 15). testis sum: II 9, 41: sidera sunt testes te nihil acceptius umquam (fuisse). II 32, 28: testis eris ... videre; IV 1, 79; cf. Ter. Ad. 203; Cic. fam. 6, 13, 2. tundo: IV 5, 35: tundat Amycle natalem esse tuum (cf. Senger).

Fortasse linguae Graecae usum imitati Catullus, Vergilius, Ovidius, Lucanus ut Propertius verbis sentiendi et declarandi activis addunt nom. c. infin., qui vocatur. Cf. Brenous p. 328; dubitatur autem an iam apud Plautum (Asin. 633) inveniatur haec structura. Cf. Schmalz p. 293, 159. — II 24, 28: deneget esse miser; III 6, 40: iurabo integer esse; IV 4, 34: captiva conspicer esse.

Sane verbis passivis Romani omnibus temporibus addiderunt hanc structuram; sed Cicero in optimis libris praeter certas nonnullas locutiones hanc structuram vitare videtur; postea autem magis magisque liberiorem induxerunt usum scriptores; ut Vitruvius, Ovidius, quem iure sermoni familiari adscribere videtur Schmalz p. 294, ita fortasse Properti quoque liberiorem usum e familiari genere dicendi ortum putare licet, ut: I 16, 11: nec tamen illa suae revocatur parcere famae et vivere ...; IV 11, 36: in lapide hoc, uni nupta fuisse, legar. Optimi scriptores praeterea raro solum aliae atque primae personae addunt hanc structuram. Schmalz p. 293, 160. II 4, 8: Melampus cognitus surripuisse boves.

Sermonis familiaris est infinitivus indignantis, qui invenitur apud comicos, Cic. praec. in epp. et scriptis prior., auct. b. Afr., et interdum in nonnullorum poetarum dictionem inlatus. Schmalz p. 295, 161; Draeger I² 332, 3; Lindsay p. 75. II 30, 19: Phrygias nunc ire per

undas et petere litora ... spargereque alterna caede Penatis ... et ferre ... praemia ...! (cf. Rothst. adn.). (v. Hor. sat. II 4, 83.)

Interdum cognoscimus scriptores usurpare infinitivum perf., ubi e nostrae linguae consuetudine exspectamus infin. praes., de quo usu non facile iudicari potest, quia varia genera discernenda sunt. Nam primum quidem prisci tale perfectum adhibebant in sententiis prohibitivis (cf. Cato r. r. c. 5: ne quid emisse velit), ubi vetatur aliquid et optatur ne iam factum sit. (De quibus cf. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge p. 76.) Quem priscorum usum praeter Lucr. et Catullum Schmalz p. 296) Aug. aet. scriptores nonnulli renovaverunt, sed ita quidem, ut non in sententiis prohibitivis solum, sed in omnibus sententiis negativis hoc infinitivo perf. uterentur, ut Hor. (sat. II 3, 178: ne quis humare velit; I 2, 28); Ovid. (am. I 4, 38); Liv. 22, 59 (haud me extulisse velim). Eundem Propertius secutus priscorum usum uno loco in sententia prohibitiva praebet exemplum: II 19, 32: absenti nemo non nocuisse velit! cf. infra p. 60. Postea autem verborum illorum usum sequebantur in verbis „possum, peto“, denique in omnibus e quibus pendet infinitivus, ita ut commoti analogia quadam aoristum Graecum imitantes amplificarent illum priscorum usum poetae Prop., Ovid., Tib., Hor., Sil. cf. Ziemer p. 78; Schmalz p. 296. Ac Propertius hunc inf. perf. addit verbis: possum: I 1, 15: potuit domuisse; 17, 1; II 16, 3; propero: I 5, 4: properas nosse (ubi exspectamus: noscere [kennen lernen]). cupio: I 9, 20; cf. praeterea: IV 1, 36: longe erat isse; II 13, 11: me iuvet legisse. Cf. Streifinger, de synt. Tib., Würzb. 1881, p. 25; Brenous p. 336.

Saepissime poetae comici, Cic. in epp. (quamquam interdum etiam in libris), rerum gestarum scriptores, nonnullique poetae secuti sermonem familiarem omittunt subiectum in structura accusativi c. inf. Cf. Schmalz p. 297, 2; Draeger II 414; Leky p. 33; Lindsay p. 73. Dtz.-Haul. Phorm. 54; Barth, de inf. ap. scaen. poet. Lat. usu p. 34—44, de Cic. in epp. usu v. Becker, Progr., Harburg 1876, p. 6. Jahn-Kroll ad Brut. 17, 229. Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. et fide historica, Würzb. 1877, p. 11. Landgraf, Bem. z. sermo cotid. i. d. Briefen Ciceros, Bl. f. bayr. Gymn. 1880, 16 p. 324. Cum quibus saepe facit Propertius, qui omittit subi: me: I 3, 15; IV 1, 79; te: I 13, 28; II 18, 3; 4; 32, 28; III 24, 6; IV 1, 134; se: II 25, 19: III 6, 22 (cf. Cat. 4, 16); vos: I 1, 23; eum: II 22, 48; III 7, 34; eam: II 28, 9; eos: II 6, 30; IV 1, 91.

2. De gerundio et gerundivo:

Interdum Propertius gerundii ablativo utitur pro gerundivo ut Plaut. (Men. 883; Trin. 1048), Naev., Pac., Ter., Lucr., Varro, rarissime Cicero et Caesar, cf. Schmalz p. 300, 164, 5; Leky p. 34. — Prop. I 1, 9: nullos fugiendo labores; I 13, 12: nec nova quaerendo (quod certe commoditati concessit, nam gerundivum eadem collocatione: „nec nŏvīs quāerendis“ baccheum efficit, quem hic in metrum dactylicum immittere

non poterat);[1]) II 10, 19: castra canendo (pro „castrīs cănēndis"; ergo ut illic baccheum pentametro, hic creticum metro dactylico omnino inserere non poterat).

Eo insolentiores autem illi loci sunt, quibus propter metrum et gerundio et gerundivo uti poterat poeta, ut: II 9, 8: illum exspectando; II 22, 49: puerum quaerendo.

3. De participio:

Participio fut. attributi loco Cicero non utitur nisi participio „futurus", semel „venturus"; cf. Schmalz p. 310, 176; sed liberiorem usum induxerunt poetae posterioresque, ut Prop. I 3, 32: moraturis luminibus; idem III 20, 12: moraturae lucis; I 15, 27: dolitura; II 1, 52: pocula nocitura; II 15, 24: reditura dies; III 15, 40: Dirce habitura; idem IV 7, 48; IV 3, 3: tibi lecturo; IV 5, 61: victura rosaria; partic. 'venturus', quod in deliciis habent poetae, ita usurpat: I 9, 18; III 11, 5; III 22, 42; audituri Noti: IV 7, 22.

Perfecti participii hic usus praedicativus certe petitus est e sermone familiari: cf. „missum facio" pro verbo „mitto"; Schmalz p. 311, 178 (Ter. Hec. 407; Cic. fam. 9, 81, 1); supra p. 28. — Prop. II 18, 6: scissas facere[2]) genas; I 11, 11; teneat clausam.

Saepissime apud Propertium „acc. c. part." occurrere videtur, quamquam certe interdum etiam verbum esse omittitur, sed hanc rem non semper certe distinguere possumus. Velut verbis sentiendi addit hanc structuram (part. perf.): I 11, 3: mirantem subdita aequora; II 1, 29: canerem eversos focos aut litora capta; II 7, 1: gavisa sublatam legem; 8, 5: possum positam spectare? II 28, 9: collatam doluit; III 4, 13; 7, 34; IV 1, 104; 105; 2, 7; 26; 4, 2; 6, 79; 7, 38; 11, 56. Interdum autem et part. et inf. perf. eidem verbo addit Propertius: II 1, 19; 33; III 17, 22 sequ. III 1, 25. Infin. praes. sequitur part. perf.: II 8, 32 et 34; III 11, 54. Iam vero uno loco eidem verbo addit part. perf., part. praes., inf. perf.: III 2, 7: cecini . . . vecta tropaea, versos deos . . . Hannibalemque Lares fugantes, et tutum fuisse Iovem.

Ut ceteri poetae, quos sequi linguam Graecam putat Schmalzius p. 312 (nam dubitatur de loco Plautino asin. 634), ita Propertius addit verbis sentiendi, declarandi (sicut verbis affectuum) participium casu nominativo, ut: I 3, 43: deserta querebar; 6, 8: relicta queritur; 16, 6: pulsata queror; I 10, 26: meminit laesa; II 5, 8: deceptus flevit; II 24, 3: expertus dico; II 9, 7: visura speraret (cf. I 15, 3).

Participium futuri praedicative addit sensu finali verbo movendi Propertius: IV 4, 6: poturas ire iúbebat ovis. De aliorum usu Schmalz p. 312, 179, qui graecanicum id esse putat.

---

[1]) cf. Bednara p. 7.

[2]) cf. III 22, 38: valuit curvare Iuno . . . Sinis et curvatas . . . trabes (facere); cf. p. 10.

Quamquam iam Cicero interdum nomini, quod subiecti grammatici locum tenet, addit participium, cui vera subiecti notio inest, tamen liberiorem usum primus induxit Propertius (cf. Schmalz p. 314): II 7, 6 devictae gentes nil in amore valent; quem usum exceperunt et excoluerunt posteriores.

Sed iam transeamus ad coniugationem periphrasticam, quae vocatur. Errat Blase (Syntax p. 256), quod dicit tale sermonis familiaris exemplum, ut: „sciens est (i. e. scit)" non inveniri apud Propertium, nam invenisse id mihi videor: III 7, 21: sunt testantia litora; IV 6, 1: sint faventia sacris (quod fortasse commoditati concessit Propertius; nam: „testāntĭă", „favēntĭă" optime ad versum quadrant); forma „erit" per ellipsin supplenda est: II 26, 53: nobis mitescet Scylla nec umquam vorans (erit) Charybdis; (fortasse, quia formam „vŏcābīt vasta Charybdis" pentametro inserere non poterat); similiter forma „sunt" supplenda est: III 17, 27: et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon (sunt); cf. Rothst. adn. („olēntĭă" pro „ŏlēnt" certe commoditate commotus dicit poeta) cf. p. 56. Similis dictio est apud Plaut., Ter., Catonem, auct. b. Hisp., Catullum, rarissime apud Cic. (numquam in oratt.) apud posterioresque. cf. Schmalz p. 316; Draeger I^2 293; Leky p. 35; Lindsay p. 78; Holtze II 5. Ut Propertius, ita saepius posteriores ut Statius (silv. 5, 1, 92), Tertullian., Commod., Gregor. Tur., Fredeg. participio verbi „esse" formam non addunt (cf. Schmalz p. 316, qui hunc Properti non nosse videtur usum). — Nec minus saepe invenimus apud Plautum, Nepotem Sallustium, Cic. in epp. et orat. prior. illum usum, quo addunt participio perfecti verbi „esse" perf., plusquamperf., fut. II. cf. Schmalz p. 316; Draeger I^2 p. 276; Blase, Synt. p. 188 (saepius etiam ap. Ovidium hic usus vulgaris invenitur); Holtze II 88. — Prop. I 4, 9: fuerit collata; I 16, 1: fueram patefacta; II 26, 3; fueras mentita; II 28, 21: Andromeda fuerat devota (Nfv; monstrata: DVFL); I 15, 35: mentita fuisses (haud scio an interdum hoc fecerit Propertius, quia tali modo facilius syllabas breves metro inserere poterat). Forma „forem" utuntur Plautus, Sallustius, Aug. aet. poetae, Cicero in epp. ad Att. (in libris uno loco de rep. 2, 24), numquam Caesar, cf. Schmalz p. 317 (Cic. Att. 7, 21, 2: dubium non erat, quin ille iam iamque foret in Apulia; 10, 14, 13; Plaut. Most. 494). Libenter formas: „fŏrĕm, fŏrĕt" in textum exceperunt poetae et praetulerunt formis „ēssĕm", esset. cf. Bednara p. 41. — Prop. I 17, 24: foret; II 9, 11: forent; id. II 25, 35; III 1, 31: fores; IV 6, 65: foret. Idem eam formam non addunt participio perfecti, id quod saepius apud Livium fit. cf. Draeger I^2 291, ubi etiam e Sall. et Nep. profert exempla. — Prop.: III 14, 33: fores imitata; III 24, 8: quaesitus foret. Iam vero eandem formam addit part. futuri, quod primus fecit Sall. (Iug. 109, 2), saepius Livius. Schmalz p. 318, 3. — Prop. II 29, 28: neu quae nocitura forent. — Sermonis familiaris proprius esse etiam ille usus videtur, quo formae verbi habendi adduntur participio perfecti, ubi nos exspectamus saepius perf. simpl. (cf. Schmalz p. 317). At cf. Thielmann, Habere mit dem part. perf. passivi, Arch. Lex. II p. 372—423, qui p. 405 hoc fert iudicium: Auffällig ist, daß . . . der

Tätigkeitsbegriff häufig in einer Weise vorherrscht, daß die Umschreibung dem einfachen Perf. sehr nahe zu kommen scheint ... Mag aber auch die Bedeutung der zusammengesetzten Form der der einfachen noch so nahe kommen: daß sie vollständig zusammengefallen seien, kann nicht zugegeben werden. Dem Gefühle des Römers blieb habere immer ein selbständiges Verbum, das je nach Umständen Dauer, Besitz oder beides bezeichnet. Ac Cicero et Caesar etsi in certis tantum locutionibus semper rem constantem ita significant (Schmalz p. 318), tamen apud priscos et posteriores in sermone familiari haec circumscriptio saepius vix discerni potest a simplici perfecto, quo usu postea illud Francogallorum perfectum factum est. Congruenter cum illo sermonis cotidiani usu Propertius scribit: II 17, 2: infectas habere manus;[1]) II 14, 22: habuit positum caput (III 7, 50: „sed (maluit) — fultum (habere) caput" locus his haud scio an addi possit).

Saepissime Propertius participio utitur pro substantivo. Frahnert (Zum Sprachgebrauch des Properz, Progr. Halle 1874, p. 34) omnia perfecta pass. substantivi loco a Propertio usurpata enumerat. E participiis praes., quorum numerum pluralem neutrius generis substantivi loco usurpat Propertius, profero haec: IV 5, 12: stantia (IV 9, 35: sonantia; nisi participio pro verbo finito hic utitur Propertius; cf. p. 55).

---

[1]) Thielmann S. 389: Abweichend vom Deutschen faßt der Lateiner auch die Begriffe „pflegen, schmücken" u. a. unter dem Gesichtspunkte des Dauernden und Zuständlichen auf.

II. De sententia simplici.

a) De sententiis interrogativis rectis.

Nonnullis locis hac in commentationis meae parte cum fructu inspicere potui libellos hos: Wolff, de enuntiatis interrogativis ap. Catullum, Tibullum, Propertium. Halis 1883; Spindler, syntaxeos Propertianae capp. duo, Marb. 1888.

Raro Propertius in interrogationibus scribit particulam interrogativam, sed plerumque praesertim in oratione commota ea abstinet, qui usus praecipue sermonis cotidiani proprius est. cf. Schmalz p. 323, 190; Draeger I² 335 sequ.; Holtze II 237—249; Leky p. 44; Brix ad Trin. 515. Poetarum elegiacorum saepissime Propertius habet hunc usum, numquam fere Tibullus (cf. Wolff p. 22). Exempla Propertiana praeter alia haec sunt: I 15, 25: contra magnum potes hos attollere Solem nec tremis? 3, 35: tandem te expulit? 13, 14: me quaeso teste negare potes? I 15, 36; II 3, 33; 8, 2; 5; 6; 13; 17; 5, 1; 3; 8, 40; 9, 25; 12, 17; 18, 23; 21, 5; 22, 3; 23; 32; 24, 18; 22; 23, 3; 14; 15; 30, 23; 34, 12; III 6, 3; 10; 11; 15; 19; 7, 33; 11, 31; 12, 1; 20, 1; 4; 22, 1; 6; 24, 4; IV 1, 122; 142; 3, 11; 51; 4, 17; 7, 13; 14.

Ut Horatius (cf. Fritzsche adn. sat. II 3, 251; Draeger I² 340) et Lucanus (7, 301; 10, 99) pronomini interrogativo, ita Propertius adverbio interrogativo addit particulam „ne“; Prop. II 8, 15: ecquandone tibi liber sum visus? cf. Schmalz p. 323, 192 („ecquando“ est apud Cic. in epp. et oratt. prior. cf. Draeger I² 345; Hand Turs. II 355).

Ad sermonem familiarem refero vocem „sicine“ II 15, 8 sicine, lente, iaces? De priscorum usu v. Holtze I 256—262, ut Plaut. asin. 111; Ter. Ad. 128; e poetis inveni apud unum Catullum (64, 132; 77, 3), qui hac voce summum doloris affectum exprimit; ironia quaedam ei inest: 29, 11; 23; (cf. Wolff p. 14).

Nec minus ad vulgarem sermonem revocare mihi videtur hic locus I 17, 8: haecine parva meum funus harena teget? De priscorum usu v. Holtze ut Plaut. Merc. 753: haecine tuast amica? Ter. Andr. 236. cf. Draeger I² 339, 157, 1 c.

Saepe poetae comici vocem „non“ pro „nonne“ usurpant (cf. Schmalz p. 323, 193), ut Prop. II 3, 24: non tibi sternuit omen Amor? 8, 21: non Boeotius Haemon corruit ipse suo ense latus? II 16, 3: non

potuit vitam posuisse? cf. Cat. 12, 6; 30, 3; 42, 13; numquam ap. Tib.; de prisc. usu Holtze I 249 d.

Ut Leky p. 44 interrogationum disiunctivarum membra particulis „num — an“ significata comparat cum priscorum usu, ita equidem hos Properti locos profero: II 28, 9: num sibi collatam doluit Venus? ... an contempta tibi templa? (num: DFL; nun: V; non: N); I 12, 9: non me deus obruit? an dividet ... herba? (non: AFN; num: DV). cf. Ter. Phorm. 412 (Hand Turs. IV 321).

Denique cum Lekyeo (p. 45) ad sermonem familiarem refero, quod totiens Propertius vocem „quid“ usurpat pro particula „cur“, ut: II 32, 3: nam quid dubias sortis, quid petis moenia? cur ... deportant ...? II 20, 1: quid fles? quid fles anxia ...? quidve fatigas ...? I 4, 1; 16, 18; 21, 3; III 1, 13; 9, 3; 7, 16; 11, 1; 27; 19, 17; 19; IV 2, 41. De Catulli et Tibulli usu Wolff p. 5.

b) De modis verborum:

1. De indicativo:

Indicativus vices coniunctivi dubitativi tenet apud priscos, Catullum, interdum Vergilium, Iuvenalem, Ciceronem in epp. et oratt. prior.; qui usus certe sermonis familiaris proprius est. cf. Schmalz p. 328; Blase, Synt. p. 119; Leky p. 36. E Propertio huc mihi spectare videtur hic locus: III 12, 17: quid faciet nullo munita puella timore?

Praeterea Plautus, Terentius, poetae recentiores, rari optimi solutae orationis scriptores etiam indicativo futuri pro coniunctivo concessivo uti videntur. Schmalz p. 328; Plaut. I 13, 1: tu laetabere; at non ...; III 13, 43: venaberis.

Idem tempus apud comicos recentioresque sensu potentiali praeditum invenies. cf. Blase p. 119; Lindsay p. 60; de Catulli usu Overholthaus p. 20; Leky p. 36. Similiter Propertius: I 8, 21: me non ullae poterunt[1]) corrumpere, quin ...; nec me deficiet ...; I 15, 29: multa prius: vasto labentur flumina ponto, annus et inversas duxerit ante vices, quem ... mutetur ... cura. I 9, 19 (quid si non esset ...?): ... tum magis Armenias cupies accedere tigris et ...; I 17, 11: (sat tibi sit poenae nox ...) an poteris siccis mea fata reponere ocellis, ...? II 15, 38: illa velit, vitae longus et annus erit. IV 7, 37: aut Nomas arcanas tollat versuta salivas: dicet damnatas ignea testa manus. 8, 32: poetae non satis unus erit. praeter. cf. infra de sententiis condicionalibus p. 81. De aliorum exemplis Draeger I² 280.

Praeterea indicativus futuri apud Propertium etiam sensu

---

[1]) fortasse formae: pŏtĕrūnt (I 8, 21 pro: pōssīnt), pŏtĕrīs [siccis] (I 17, 11 pro: pōssīs), ĕrĭt (II 15, 38 et IV 8, 32 pro sĭt) poetae melius ad metrum quadrabant.

optativo praeditus esse videtur. De comic. et Apulei tali usu Leky p. 37. — Prop. III 3, 39: contentus niveis semper vectabere cycnis (pro imper. cf. infra), nec te fortis equi ducet ad arma sonus. nil tibi sit ...; IV 4, 37: (O utinam sedeam ... dum conspicer ...! ... valeat) ...: ille equus ille meos in castra reponet amores. cf. I 4, 17.

Denique Propertio etiam usitatum est indicativo futuri uti pro imperativo, qui usus initium cepit a priscis, et invenitur ap. Cic. in epp., Livium, poetas Aug. aet., recentioresque, ut Apul.; cf. Schmalz p. 328, 203; Blase 116; Leky p. 37. Loci Propertiani sunt hi (tres iam attulit Spindler p. 16, ut ceteri sane non comparans cum aliorum scriptorum usu): I 20, 51: tuos monitus servabis amores! II 5, 3: dabis mihi, perfida, poenas; III 18, 17: i nunc, tolle ... et finge ... iuvent ... supera ... atque sint ... dabis (cf. Blase). III 3, 39: contentus semper vectabere ...! III 23, 15: venies hodie ...! IV 1, 137: (finge) ... militiam patiere (imperativum: „pătĕrĕ“ metro omnino inserere non poterat). IV 8, 75: tu neque spatiabere; cave ... (forma: „spatiābĕrĕ“ optime ad metrum quadrat). II 13, 27: tu vero sequeris, nec fueris lassa vocare, osculaque pones ... (fut. exact. pro prohibitivo saepissime usurpant comici; cf. Plaut. Mil. 573; Ter. Heaut. 748 (Dtziatzko), Apul. met. 5, 11; Leky). (formam: „sĕquĕrĕ“ omnino metro dact. non inserere poterat; deinde formam aut connicintatis causa aut commoditate commotus hoc loco adhibet, pro his: pōnĕ sūprema.)

2. De coniunctivo:

Ut poetae comici, Catullus, Cicero in epp., interdum Aug. aet. poetae, ita Propertius altera coniunctivi praes. persona utitur pro imperativo, si certam quandam alloquitur personam. cf. Blase p. 127; Leky p. 37; Landgraf, Bemerkungen zum sermo codidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero, in Bl. f. bayr. Gymn. 1880, 16 p. 323. — Prop. I 18, 11: mihi te referas; III 7, 26: Paetum, vilis arena, tegas. III 15, 43: tu parcas vexare (pro: „pārcĕ vēxare“, commoditate commotus). IV 4, 55: sed facias, divum Sator („făcĭās“ pro „făc“); IV 11, 23: Sisyphe, mole vaces (= văcā); taceant ...; fallax Tantaleus corripiare liquor. Interdum eum coniunctivum Propertius scribit iuxta imperativum; idem saepius etiam apud comicos invenitur, ut: Plaut. Truc. 433: valeas — vale; Mil. 1101: dicas — dicito; Ter. Hec. 751: eas — polliceare — exple — expedi —; cf. Blase p. 126. Hor. sat. 2, 5, 88; cf. Ebeling, de imperativi usu Horatiano, Progr. Wernigerode 1870, p. 13. — Prop. I 1, 31: vos remanete ... sitis (= ēstĕ); III 21, 11: nunc agite, o socii, propellite — navem, ducite — iungite — Romanae turres valeatis, puella vale! („vălĕātis“ commoditati concessit). III 24, 33: cupias — patiare — queraris — disce —! (pro: cŭpĕ (cŭpĭās) — pătĕrĕ (pătĭāre) — quĕrĕrĕ (quĕrāris) —).

Cato iam imperativum coniunxit cum coniunctivo tertiae personae, interdum poetae, praecipue poetae elegiaci. Blase p. 126.

Prop. III 24, 31 (quod luculentum eiusmodi exemplum est): urgeat — veniat — cupias — patiare (cf. supra). IV 6, 5: date — eat — spargite — libet —; IV 6, 9: ite — sint; III 18, 17: tolle — iuvent — supera — sint — dabis (ubi his praeterea pro imperativo futurum addit; cf. supra).

Certe etiam id ab optimorum scriptorum dictione abhorret, quod Propertius alteri coniunctivi personae, — ubi certam alloquitur personam —, addit negationem, qui usus exstat apud comicos et Cic. in epp., non apud alios poetas. Schmalz p. 330; Blase p. 128. — Prop. II 3, 26: ne putes.

Sequitur certe ceterorum poetarum usum Propertius, si coniunctivo optantis addit negationem „non“, quamquam iam apud priscos invenitur hic usus, ap. Petronium, recentioresque. cf. Schmalz p. 330; Blase p. 136; Draeger I² 312; Leky p. 38. — Prop. I 6, 23; 8, 13; 18; II 19, 32; 26, 41; III 15, 1 (IV 4, 57: non: FDV; ne: NLv).

Negationem „ne“ continuare partiula „nec“ plane abhorret ab eleganti dictione, quem priscorum usum libenter exceperunt poetae Aug. aet. largiusque sicut posteriores excoluerunt, ut praecipue Livius. cf. Blase p. 138; Leky p. 38. — Prop. I 20, 13: ne tibi sint duri montes neque (sit) adire . . . (cf. III 15, 1: non norim — nec veniat . . .).

Ut Naevius, Plautus, Cato, Terentius. interdum Catullus, Ovidius, Vergilius, ita Propertius addit sententiis optativis particulam „ut“, ubi poetae fortasse priscae linguae studiosos se praebent. Blase p. 133; Lindsay p. 117; Holtze II 161; Draeger I² 314 Ca; Dietze, de sermone Catoniano, Lips. 1870, p. 26; de Catulli usu v. Overholthaus p. 21. — Prop. II 4, 1: his saltem ut tenear iam finibus aut acrius ut moriar! II 22, 39: si forte irata sit: ut sciat esse aliam . . . — Rarius etiam tali sententiae addi vocem „o utinam“ affirmat Blase p. 134. — Prop.: I 3, 39; 8, 9; 16, 27; IV 4, 33; cf. Ovid. her. I 5; ep. 18, 115.

3. De imperativo:

Familiaris sermonis est uti imperativo futuri pro imp. praesentis. cf. Schmalz p. 332; Landgraf, Bemerk. zum sermo cotid. i. d. Br. Ciceros p. 322. — Prop.: I 21, 5: te servato . . .! III 13, 45: me vocato! IV 5, 53: spectato! — Insolentius autem id est, quod Propertius ut poetae comici et recentiores (ut Amm., Apul., Prudent.) imperativum praes. et fut. tribus locis coniungit: II 18, 3: si quid vidisti, semper vidisse negato! aut si quid doluit forte, dolere nega! II 22, 43: aut si es dura, nega; sin es non dura, venito! IV 5,77: quisquis amas — caedito (nisi cum Livineio 'caedite' scribendum, etsi correptam o Propertio imputat L. Müller, de re metr.[1] p. 337) — addite! De Plauti usu et Apul. Leky p. 38; Schmalz p. 332.

Imperativo addit negationem „ne“ Propertius, ut Plautus, Terentius, aliique vulgaris sermonis scriptores, numquam

Cicero, Caes., Sall., Livius uno loco; hunc sermonis cotidiani usum nonnulli metri causa exceperunt. cf. Haul. ad Phorm. 664: ne clama; Most. 576; 643; 1105 (Lor.); Streifinger, de synt. Tibulliana p. 30: e Tibullo nullum eiusmodi exemplum profert, compluria e Sulp. eleg. — Prop. II 15, 49: ne desere! 16, 7: ne desere et carpe! (tribrachys: „desĕrŭĕris" ad metrum dactylicum non quadrat). II 20, 14: ne dubita! („nē dŭbĭta de" quadrabat ad metrum, non: „ne dubitāvĕrīs de", quod creticum efficit. Duobus tantum locis Propertius utitur hoc eloquendi circuitu: II 18, 37: noli committere! 24, 49: noli conferre! (cf. Blase p. 244.) Illis locis ne hanc quidem circumlocutionem scribere poterat poeta: noli desĕrĕrĕ. — Ad locum: IV 7, 83: „hic carmen scribe nec tu sperne", cf. similem Cic. in epp., Ovidii, Livii usum (Draeger I² 328, 10).

Fortasse cum Rothsteinio iure putamus Propertium sequi sermonem cotidianum eo, quod addit imperativo formulas „i" vel „ite" interposita particula: et; — Prop. I 9, 13: i quaeso et compone! II 29, 22: i nunc et disce! III 4, 40: ite et consulite! III 23, 23: i puer et propone.

c) De temporibus verborum:

Certe sermonis familiaris est praesenti uti pro futuro, quem usum posteriores magis magisque excoluerunt. Schmalz p. 333, 211; Blase p. 108; Draeger I² 286 § 139; Holtze II 67—69. Lindsay p. 58; Overholthaus p. 19. Saepius idem apud Propertium occurrere mihi videtur, quamquam paucos locos profert Spindler p. 5. I 4, 15: quo magis contendis, hoc magis fallit uterque . . .; non impune feres. 9, 26: acrius illa subit, Pontice, si qua tua est. (formam bacch.: „sŭbībīt P." pentametro Propertius inserere non poterat.) I 17, 3: nec mihi Cassiope visura carinam omniaque vota cadunt (ubi praesens iuxta futurum discrimine non facto scriptum est, quod saepius apud recentiores demum fit; Schmalz p. 334, 211; simile exemplum est II 15, 24: nox tibi longa venit, nec reditura dies. II 1, 8: gaudet ire (cf. Rothst.). II 13, 16: possum ferre (supra: valeto — ero; infra: claudet —). II 18, 32: an si tinxerit, idcirco — est? 20, 13: (rumpam — transiliamque —) de te quodcumque, ad surdas mihi dicitur auris (fortasse commod. causa: dīcētŭr aūris creticum efficit.); 23, 20: infelix, hodie vir mihi rure venit. 24, 39: nil ego non patiar, numquam me iniuria mutat; 50: vix venit, extremo qui legat ossa die. 28, 32: (27: narrabis — credet — primus erit) et deus et durus vertitur ipse dies. hoc poterit . . .; III 5, 16: (victor cum victis miscebitur): consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes. Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro (optima mors, quae . . . venit). III 13, 60: proloquar: frangitur ipsa suis Roma superba bonis (certe dactylica vox: frāngĭtŭr poetae aptior erat). 21, 21: (vehar — cogar — deinde cum sedarit) quod superest, sufferre pedes properate laborem („sŭpĕrĕrĭt" omnino metro dactylico immittere non poterat poeta). IV 1, 140.

Praeterea breviter tangam illum poetarum usum, quo praesenti tempore scripto pro perfecto significatur res, quae usque ad praesens tempus permanet (Schmalz p. 334; Blase p. 107; Draeger I² 229; Holtze II 62). Propertium eundem usum habere consentaneum est, ut I 9, 6: dicere quos iuvenes quaeque puella domet (cf. Rothst.) sim. I 18, 6; 9; II 8, 1: eripitur nobis iam pridem cara puella; III 19, 20; IV 1, 77: me creat Horon; 121: Umbria te edit; 2, 3: Tuscus ego Tuscis orior. IV 4, 53; 9, 39.

Eodem modo etiam perfectum usurpatur pro futuro a priscis, Cic. epp. et script. prior., Ovidio, Statio, ubi ei qui loquitur, rem iam confectam esse animo obversatur (Blase p. 171). — Prop. IV 139: nam tibi victrices quascumque labore parasti, eludit palmas una puella tuas. 2, 29: cum est imposta corona, clamabis . . .

Liberioris imperfecti usus, qualis sermonis cotidiani proprius est, unum exemplum est apud Propertium: I 9, 1: dicebam tibi venturos, irrisor, amores (ich sagte dir doch, aber du hast nicht gehört und hast jetzt den Schaden davon). Schmalz p. 334; Blase 145; Rothstein adn.

Praeterea sequitur analogiam verborum: „poteram (= ich hätte können), debebam“ his locis: I 13, 34: dignus eras; id. III 12, 16; idem saepius fit apud Ovidium argenteaeque latinitatis scriptores (cf. Blase p. 150.

Natura plusquamperfectum significat actionem tempore praeterito iam confectam, cuius actio relativa postulat aliud tempus, ad quod attinet. Quod tempus aut antecedit aut sequitur; interdum autem animo concipitur. [Velut plusquamperfectum pendet a verbo antecedente: I 8, 35; II 8, 31; IV 8, 70; I 20, 23. Atque aliud praeteritum observatur animo non expressum verbis apud Propertium his locis: III 11, 65; III 24, 20; IV 7, 15. Sane is usus praecipue cognoscitur apud comicos, Ciceronem epp. posterioresque; sed omnibus aetatibus fuit et haud ita raro apud Cic. in libris inveniri videtur. Blase p. 211 § 45. Plusquamperfectum rhetoricum (quod pendet a praeterito sequente), apud Propertium his locis invenitur: I 15, 10 fleverat — sederat —, dolebat; II 22, 25; IV 8, 82; 9, 2; III 9, 25: dixerat. IV 6, 55; 9, 21. cf. II 28, 17: Io . . . mugiverat: nunc bibit; 23: Callisto erraverat; haec regit]. [I 17, 21: coniunct.].

Sed sermo familiaris iam pridem plusquamperfecto „fueram“ eodem sensu atque „eram, fui“ formis usus est. („Die Möglichkeit, im gegebenen Falle sowohl fui wie eram zu gebrauchen, führte bei der Schnelligkeit des Sprechens zu der Anwendung von fueram, wo es logisch unberechtigt war. So findet sich denn schon bei den Komikern fueram in verschobener Bedeutung . . . In nachklassischer Zeit gewinnt die Verschiebung an Umfang . . .“ (Blase, Synt. p. 218 § 48). — Prop. I 10, 2: affueram;[1]) fuerant: I 11, 29; II 13, 38; II 29, 7; IV 5, 71; fuerat: II 3, 34 (cf. Blase p. 223; Rothst. adn,); III 7, 31; 8, 1; IV 5, 71.[2])

---

[1]) certe interdum plusquamperf. melius quadrabat ad metrum, ut I 10, 2: ăffŭĕram; I 11, 29: fŭĕrānt (pro ĕrānt).

[2]) cf. supra p. 55.

Verbi „esse“ [1]) analogiam mox etiam alia verba secuta esse videntur; ita iam a comicis etiam aliorum verborum plusquamperfectum usurpabatur pro simplici praeterito (Schmalz p. 336). E Propertio certe huc spectant hi loci: I 3, 17: (quamvis iuberent . . .) non tamen ausus eram . . . [2]); (certe enim iubendi actio audendi actioni antecedit; ergo hoc loco plusquamp. praeteriti simpl. locum tenet). Aeque res se habet his locis: I 19, 10: (heros non potuit immemor esse), sed cupidus . . . venerat. 20, 16: perpessus . . . fleverat; (sed Herc. tum demum flet, postquam malum illud perpessus est). II 2, 13: viderat; II 29, 4: venerat; IV 6, 31: (Phoebus astitit et luxit . . .) non ille attulerat crinis . . . solutos (ubi vel plusquamperf. discrimine non facto scripsit iuxta perfectum); IV 9, 28: velabant — luxerat — populus et ornabat — multaque umbra tegebat. Eundem plusquamperfecti usum habent poetae comici, Cic. epp., auct. b. Hisp. et Afr., Vitruvius, nonnulli poetae (praeter Propertium praecipue Ovidius), Livius posterioresque. Schmalz p. 336; Draeger I² 259; Holtze II 81; Lindsay p. 62; Leky p. 39; Brix ad Capt. 17; Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. p. 28; Thielmann, Stilist. Bemerk. zu d. Jugendw. Cic., Z. f. Gw. 1880, 16. B. p. 355; Schmalz, über den Sprachgebr. d. nichtcicer. Briefe i. d. cicer. Briefsammlung; Z. f. Gw. 35. Jahrg. p. 97.

Interdum poetae usurpabant formam „steteram“ pro „stabam“, quae res inde orta videtur, quod forma „steti“ pro „sto“ utebantur (Blase p. 226). — Prop. II 8, 10: et Thebae steterant altaque Troia fuit. II 31, 7: steterant; III 18, 15: steterat (Certe tales formae optime quadrabant ad metrum: stĕtĕrānt).

Coniunctivus praesentis a Propertio interdum usurpatur pro futuro. De Plauti eiusmodi usu Blase p. 123, 13. — Prop. I 4, 8: Cynthia non illas nomen habere sinat (cf. Rothst.: er [der Konj. der Möglichkeit] steht bei Properz ganz in der Bedeutung eines Indik. Fut., auch . . . in Aussagen, die man sich nicht anders, als mit größter Sicherheit vorgetragen denken kann); II 13, 8: tunc ego sim notior. II 8, 25: sed non efficies . . .; hoc eodem ferro stillet uterque cruor. 14, 32: quod si . . . mutabere, . . . iaceam (fut.: iăcēbō [bacch.] metro inserere non poterat). III 15, 46: te . . . amem (forma bacch.: ămābō non quadrat ad metrum; [sed cf. Blase p. 125, qui coniunctivum voluntatis eum esse dicit, qui invenitur ap. priscos, poetas, posteriores]). IV 1, 142: premat.

Id certe communi poetarum more fit, quod Propertius ut posteriores actionem futuram circumscribit dictione: „incipiam“. Schmalz p. 336, 216. Prop. II 19, 19; II 15, 33; III 4, 15; III 21, 25; IV 10, 1 [3].)

---

[1]) cf. Blase, Gesch. des Plusquamperf. im Lateinischen, Gießen 1894, qui p. 25. illum plusquamperfecti „fueram“ usum comparat cum simili nostrae linguae vulgari usu. Plura affert: Stolz, Berl. Ph. W. 1894, 40, 1271.

[2]) I 3, 17: āusŭs ĕram; I 20, 16: flēvĕrăt; IV 9, 28: lūxĕrăt; IV 6, 31: āttŭlĕrat; imperfectum „āffĕrēbat“ metro omnino inserere non potuit.

[3]) formas IV 10, 1: ăpĕrĭam; II 15, 23: rĕvŏcābūnt hic non quadrabant (ion. a minore quarto aut sexto pede immitti potest). ceterum illa cirumlo-

Denique in eo Propertius sequitur sermonem familiarem, quod totiens futuro exacto utitur pro futuro I. Schmalz p. 336; Blase p. 181; Holtze II 87; Lindsay p. 60; Lor. ad Most. 590; Brix ad Capt. 293. Iam prisci vix aut omnino non discernebant fut. I et II. Sjögren, Gebrauch des Futurums im Altlateinischen, Upsala 1906. cf. praeterea Leky p. 39. De Cic. i. epp. usu: Lebreton, étude sur la langue et la gramm. de Cicéron, Paris 1901, p. 201; Jahn-Kroll ad Cic. Brut. 21. Nonnullos locos Propertianos iam attulit Spindler p. 16. — I 8, 44 venerit;[1] I 15, 30 labentur ... et duxerit; I 16, 21: nullane finis erit nostro concessa dolori; I 19, 15: quarum nulla tua fuerit mihi forma gratior; 20, 8; 18, 14; II 1, 65; 5, 10; 22 (cf. Rothst.); 13, 28; 30, 4; 33; IV 11, 85.

d) De generibus verborum.

E verbis, quorum passivum sensu mediali usurpat Propertius, profero haec: III 17, 1: advolvimur (iam apud Sall., Draeger I² 146); III 16, 20: fit (i. e. se facit). cf. Rothst. III 9, 28: insinuentur opes (cf. Draeger I² 148).

Deponentibus active utitur his: I 6, 7: illa mihi argutat ignis. cf. Petr. 46, 1: quid iste argutat molestus? II 7, 15: quodsi vera meae comitarent castra puellae (ap. Lucret., Ovid., Plin. mai. Blase p. 293). Deponentium participium perf. ita usurpatur: I 10, 5: complexa puella (ap. Cic. Rosc. Am. 37); Blase p. 306. IV 7, 58: mentitae bovis; I 19, 6: oblito amore. (a Vergilio et poster. ita usurpantur) Blase p. 308; — I 2, 5: mercato cultu. Draeger I² 158; Blase p. 308.

---

cutio „īncĭpĭam“ melius quadrat, quam hae voces graves: II 19, 19: cāptābō; III 4, 15: spēctābō; III 21, 25: ēmēndābō.

[1]) Interdum neglegentia quadam Prop. hic quoque fut. II adhibet ad dactylum facilius efficiendum, ut: I 15, 30: dūxĕrĭt; 20, 8: tīnxĕrĭt; II 1, 65: replēvĕrĭt; 5, 22; 30, 4; 30, 33; cf. praeterea I 8, 44: „vēnĕrĭt“ pro „vĕnĭēt“; id. 18, 14. Insolentius autem fut. II usurpat hoc loco, quo eodem iure futuro I uti poterat: IV 11, 85: mūtārĭt = mūtābĭt.

III. De coordinatione sententiarum.

a) De coordinatione simplici:

Solet fere Propertius coniungere sententias simplici parataxi particulis non adhibitis, ita ut rationem, qua inter se cohaerent — sive causam, sive condicionem, sive consecutionem significare vult poeta — saepius vix intellegere possis. Certe hoc genus sententias conectendi praecipue sermonis familiaris proprium est et invenitur apud Plautum, Terentium, Ennium, Catonem, Cic. in epp. et oratt. prior. (Schmalz p. 339, 222).[1] Similem usum poetae haud scio an e sermone familiari ceperint. Propertius quidem in varia sententiarum ratione habet eam dictionem. Atque imprimis ea utitur ad causam significandam. De simili Petroni usu Segebade, observ. gramm. et crit. in Petron., Halle 1880, p. 17. praeterea Kühner II² 749—756. — I 2, 7 crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae: nudus Amor formae non amat artificem. I 4, 17 non impune feres: sciet haec insana puella. I 10, 9: non tamen a vestro potui secedere lusu: tantus in alternis vocibus ardor erat. II 24, 39; III 21, 13; III 13, 3. Facile ea exempla ipse augere poteris, nam in unoquoque fere carmine reperies, ut: I 1, 15; 35; 2, 23; 25; 4, 17; 20; 5, 11; 23; 32; saepissime. — Nec minus sententias adversativas simili parataxi coniungit (a quo genere rhetoricum illud bene mihi discernendnm esse videtur. Kühner II² 757), ut: I 2, 23 non illis studium vulgo conquirere amantis: illis ampla satis forma pudicitia. II 9, 45: nec domina ulla meo ponet vestigia lecto: solus ero, quoniam non licet esse tuum. — Huius quoque rei exempla ut libebit augere poteris, ut: III 3, 18; 4, 22; 5, 13; 47; 7, 31; 71; 9, 35 saepissime. — Praeterea saepius pro sententia conclusiva simplici utitur coordinatione Propertius. De Petronii usu v. Segebade p. 18. — Prop. II 1, 47: laus altera, si datur uno posse frui: fruar o solus amore meo. 5, 14: quam facile irati verbo mutantur amantes: dum licet, iniusto subtrahe colla iugo. 20, 13; 32, 2; III 20, 10; IV 1, 37; 5, 29. — De sententiis interrogativis dicam infra p. 73.

Denique huc pertinet illa anaphora, cui saepius inest coniunctionis loco vis copulativa. Kühner II² 748, 2. Pluribus hoc exsecutus est Ludov.

---

[1]) cf. de hac parte praeterea: Naegelsbach: Lat. Stilistik §§ 197—202.

Otto[1]): (de anaphora; in exempl. adhibita sunt carmina Vergili et Ovidi, Marburg 1907), qui rem ita ese eo demonstrat quod poetae alternis et anaphoram et particulas usurpant (p. 41). ut Ov. met. 1, 119. Prop. II 6, 9; IV 2, 15. Atque anaphora est loco particulae copulativae: et, atque (Otto p. 56): I 15, 18: Hysipyle vacuo constitit in thalamo: Hysipyle nullos post illos sensit amores. II 28, 51: vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro, vobiscum Europe nec... II 26, 27: multum in amore fides multum constantia prodest. — Anaphora praeterea tenet locum vocum: non solum — sed etiam: III 17, 5 per te iunguntur, per te solvuntur amantes. Otto p. 58. Deinde anaphora est pro voce „nec“: II 24, 49 noli nobilibus, noli conferre beatis. III 18, 27 Nirea non facies, non vis exemit Achillem. etc. (Otto p. 59). Tum pro particula „aut“ scribit anaphoram Propertius: III 11, 67: nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli, aut modo...? III 11, 27: nam quid heroas, quid raptem in crimine divos? II 32, 3; IV 7, 27 saepius (Otto p. 60) (seu — seu: II 25, 41 vidistis ... candore, vidistis fusco ..., ducit uterque color. infra p. 67). Tum saepe pro particulis adversativis usurpatur anaphora: II 5, 28: Cynthia forma potens, Cynthia verba levis. II 24, 41: credo ego ... periisse, credo ego sed... IV 2, 31: cinge caput mitra, speciem furabor Jacchi; furabor Phoebi, si modo plectra dabis. — saepissimeque (Otto p. 61). Denique Propertius pro particulis: ut — ita utitur anaphora: I 12, 20: Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit (Otto p. 63).

b) De coordinatione sententiarum loco subordinationis scripta.

Certe hoc genus dicendi sermonis prisci et familiaris est, quamquam nonnumquam etiam apud poetas invenitur, praecipue autem apud Horatium in saturis. Schmalz p. 354. Ziemer, Junggr. Streifz. p. 111; Lindsay p. 66; Blase, Synt. p. 169; Leky p. 41; de Horati usu v. Fritzsche adn. ad sat. II 6, 48. Ac Propertius ea dictione utitur pro sententia temporali: I 20, 31: iam cessat genus: ibat Hylas. II 14, 21: pulsabant alii frustra dominamque vocabant: mecum habuit positum lenta puella caput. IV 7, 92: nos vehimur, vectum nauta recenset onus. IV 8, 11: ille sibi admotas a virgine corripit escas: virginis in palmis ipsa canistra tremunt. IV 10, 36: nec mora fit: plano sistit uterque gradum. Pro sententia consecutiva esse mihi videtur parataxis: I 4, 22: te irata differet: heu nullo limine carus eris. II 13, 7: nostro stupefiat Cynthia versu: tunc ego sim notior. 28, 49: sunt apud infernos tot milia formosarum: pulchra sit in superis, si licet, una locis. III 1, 39: carminis interea nostri redeamus in orbem: gaudeat in solito tacta puella sono. IV 1, 102: illa parit: libris est data palma meis. cf. Schmalz p. 355; Plaut. Men. 572: morem habent hunc:

---

[1]) cf. p. 83: vera enim anaphorae natura non in illa ab omnibus fere comprobata exornandi et amplificandi orationem virtute est quaerenda, quae vis omnibus tropis et figuris est communis, sed ut recte Birtius vidit, in eo, quod in locum coniunctionum succedit...

cluentes sibi volunt esse multos. Saepissime pro pronomine relativo parataxi adhibita Propertius scribere videtur demonstrativum, ut: I 3, 45: me iucundis ... sopor impulit alis, illa fuit... ultima cura. II 9, 31: vobis facile est... componere fraudes: hoc unum didicit femina semper opus. III 12, 30: mugisse iuvencos: paverat hos Lampetie. I 9, 17; 12, 7; 15, 10; 20, 5; II 13, 55; 15, 21; 16, 51. Similiter etiam sententias condicionales per parataxin inter se conserit poeta, ut: I 19, 19: quae tu viva mea possis sentire favilla! tum mihi non ullo mors sit amara loco (de particula „tum" in iis sententiis adhibita Rothst. adn. I 14, 11). II 8, 4: ipsum me iugula: lenior hostis ero (de hac structura, in qua alterum membrum imperativus est v. Jahn-Kroll Cic. Brut. 68; ad hunc locum Rothstein „die Form, inquit, der Aufforderung, die logisch nur den Wert eines Bedingungssatzes hat"). II 21, 5: tot periere: nihil pudet? II 25, 42: vidistis pleno teneram candore puellam, vidistis fusco: ducit uterque color. vidistis quandam Argiva prodire figura, vidistis nostros: utraque forma rapit. III 2, 1—8; III 3, 23; IV 2, 23; IV 5, 37. Imprimis his addo hos locos: IV 2, 37: suppetat hoc, piscis calamo praedabor; IV 5, 9: illa velit, poterit magnes non ducere ferrum. IV 5, 11: Collinas ad fossam moverit herbas, stantia currenti diluerentur aqua. Schmalz p. 354; Leky p. 42, qui praeter Apulei usum alios quoque profert locos, praesertim e comicis. His locis adiungendi mihi esse videntur illi loci, quibus secundum usum familiarem coordinatio est pro sententiis concessivis. Schmalz p. 354. — Prop. I 15, 32 sis quodcumque voles, non aliena tamen (eris). II 13, 51: tu tamen amisso non numquam flebis amico: (etsi) fas est praeteritos semper amare viros. II 25, 45: illaque plebeio vel sit sandycis amictu: haec atque illa mali vulneris una via est. II 34, 83: aut sim minor ore: canorus anseris indocto carmine cessit olor. IV 1, 141: et bene confixum multo discusseris uncum, nil erit hoc. II 14, 17; III 5, 9; III 18, 17 sequ. IV 11, 49.

Referenda huc videtur illa quoque parenthesis, quae sine coniunctione sententiis inseritur, qui usus praecipue sermonis familiaris proprius est. Schmalz p. 340; Leky p. 42; Lor. ad Mil. 810; Brix ad Trin. 124. — Ac Propertius (qui saepissime habet hunc usum) scribit II 16, 25: non quia peccarim (testor te), sed quia... fuit; II 18, 37: credam ego narranti (noli committere) famae. III 15, 7: tertius (haud multo minus est) cum ducitur annus. IV 2, 57: sex superant versus (te qui ad vadimonia curris non moror) haec ... I 7, 4; 16; 12, 16; 17, 16; 19, 16; 20, 2; 12; 22, 32; II 3, 16; 12, 22; 20, 16; 21, 12; 24, 28; 29, 4; III 3, 38; 11, 28; 12, 30; 13, 59; IV 1, 90; 2, 50; 3, 67; 4, 73; 5, 65; 7, 36; 8, 6. Propertius etiam longiores scribit parentheseis, quod praecipue invenies apud Liv., Tac., Plin. epp. Schmalz p. 340. — Prop. I 22, 6—9; II 3, 10—13; IV 8, 9—15 (cf. Rothst.).

Denique sermonis familiaris est, verba sentiendi et dicendi scribere per parataxin. Schmalz p. 355, 266; Leky p. 43; Draeger II 210 de Cic. in epp. usu; Holtze II 227; de Petronio v. Segebade p. 13. Ax: de anac. Plaut. Ter. p. 35. Propertius ita usurpat haec verba: credo: I 2, 7: crede mihi: non ulla tuae est medicina figurae (de collo-

catione vulgaris sermonis acceptissima: „crede mihi“ v. Schmalz, Über den Sprachgebr. der nichtciceron. Briefe . . ., Z. f. Gw. 35. Jahrg. p. 115; praeterea: Antib. I[6] 338). II 5, 29: crede mihi: hic tibi pallori versus erit; II 11, 3: omnia, crede mihi, tecum auferet atra dies. II 26, 53; 33, 18; III 9, 31; 19, 2; IV 4, 62: credite, vestra meus molliet arma torus. Lor. Most. 1080. accipio: IV 9, 42: accipite: haec fesso vix mihi terra patet. dico: II 34, 3: expertus dico: nemo est in amore fidelis; cf. Draeger II 212, 12; Dtz.-Haul. ad Phorm. 235; Lindskog, quaestiones de parataxi et hypotaxi ap. prisc. Lat., Lundae 1896, p. 48. Eidem verbo per coordinationem addit Propertius coniunctivum: II 16, 10: dic naviget. cf. Plaut. Stich. 624; idem apud Petronium. Segebade p. 16. v. Guericke, de linguae vulg. reliquiis ap. Petron. et in inscriptionibus parietariis Pompeianis. Gumbinnen 1875, p. 63. aspicio: II 21, 5: aspice, cantat liber. memini: II 13, 39: memento: hoc iter veni. IV 2, 27: arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis. moneo: I 1, 35: hoc moneo vitate malum; I 20, 1: hoc te monemus . . .: saepe fortuna occurrit amanti (cf. Plaut. Most. 196; Draeger II 212, 83). precor: II 9, 38: tela precor promite . . .; IV 9, 33: vos precor pandite hospita fana (cf. Apul. met. 2, 29). coniunct.: III 4, 12: sit precor dies. puto: II 26, 18: qui puto vexerat. cf. Draeger II 210. Vatin. ap. Cic. fam. 5, 9, 1; plura affert Schmalz, Über die Latinität d. Publ. Vatinius i. d. bei Cic. 5, 9 u. 10 erhaltenen Briefen. Progr. Mannheim 1881, p. 39. proloquor: III 13, 59: proloquar: frangitur ipsa Roma (quaeso: I 13, 14; II 23, 19; 28, 41; III 1, 2; IV 6, 14. Draeger II 212, 15). Praeter verba dicendi et precandi coniunctivum addit Propertius per parataxin verbis his: adoro: I 4, 27: maneat sic semper odoro. facio: II 9, 24: di faciant isto fruare viro! — praeterea addit imperativo eum coniunctivum Propertius, ut Plautus, Terentius, Cato, Cic. in epp.; Schmalz p. 355, 266; Leky p. 43; Holtze II 166 squ.; Draeger II 278 de Cic. in epp. usu. Schmalz, Über den Sprachgebr. der nichtciceron. Briefe . . . p. 116. — Prop. IV 4, 66, fac venias! IV 5, 34: fac simules! IV 11, 68: fac teneas! I 1, 22: facite illa palleat. opto: IV 3, 27: sed opto e desiderio sit color iste meo. cf. Ov. trist. 2, 57.

c) de coniunctionibus in coordinatione adhibitis.

Et, Nec, Que:

(Interdum dicit Propertius: „et non, et numquam“ pro „nec, nec umquam“, qui usus, etsi saepius etiam apud ipsum Ciceronem inveniatur, mihi praetermitendus esse non videtur, quia magis eum posteriores excoluerunt. cf. Schmalz p. 340, 224. I 1, 7: me docuit et mihi non deficit; II 1, 50: solet illa culpare et non probat . . .; III 7, 9; II 30, 9: excubat et numquam patietur. Interdum autem etiam coniunctione „nec“ utitur pro vocabulis „et non“: I 20, 14: ne tibi sint duri montes et frigida saxa, neque expertos semper adire lacus (cf. Rothst.). II 3, 6: quae-

rebam si posset piscis harena nec solitus ponto vivere torvus aper. II 5, 11; II 22, 27; II 28, 52; III, 24, 30; IV 7, 65. Hand Turs. IV 401 no. 5.)

Poetarum more Propertius interdum scribit „nec minus“ pro particula „item“. Schmalz p. 340, 224, adn. — I 3, 5; I 15, 7; II 32, 59. — Alienum ab eleganti sermone esse videtur particulam „et“ usurpare sensu adversativo. Schmalz p. 340, 225. Leky p. 55; de Petroni usu v. Segebade p. 23. — Prop. I 1, 25 tunc crediderim vobis posse ducere, et vos ..., quaerite ...; I 6, 21: nam tua non aetas umquam cessavit amori, semper et armatae cura fuit patriae. II 28, 62: redde excubias divae; votivas noctes et (i. e. at) mihi solve decem. — Similiter usurpat coniunctionem „nec“: I 7, 7 (dum tibi dicuntur, nos agitamus) nec tantum ingenio quantum servire dolori cogor. II 22, 27: Juppiter requieverat; nec tamen languens venit (cf. Apul. met. 8, 5).

Praeterea saepius poetae comici adiungunt appositionem particula „et“ sive „que“. cf. Leky p. 55. Idem apud Propertium invenisse mihi videor: I 8, 35: dotatae regnum vetus Hippodamiae et quas Elis opes ante pararat equis (cf. Rothst.). II 9, 13: tanti corpus Achilli maximaque sustulit ossa manu. III 7, 29: ite, rates curvas et leti texite causas (— rates enim causa leti sunt). — Sequitur eo quoque sermonis familiaris usum Propertius, quod particula „et“ saepius utitur pro coniunctione temporali. De vulgari huius usus natura v. Schmalz p. 341, 227; plane convenit cum Graecorum sermone. II 3, 3: vix unum potes requiescere mensem, et turpis de te iam liber alter erit. II 4, 23: ambulat — et subito mirantur funus amici. II 24, 19: una aut altera nox nondum est in amore peracta, et dicor lecto iam gravis esse tuo; 29, 23; III 16, 1; 9; III 18, 15: occidit, et misero steterat vicesimus annus. — Ut iam Cato (r. r. 156) et Varro, postea Livius recentioresque, ita Propertius particula „et“ utitur pro „etiam“.[1]) — II 9, 22: forsitan et de me verba fuere mala. 15, 38: illa velit, vitae longus et annus erit; II 25, 48: cum satis una insomnia portet, una sit et cuivis femina multa mala. III 19, 15: crimen et illa fuit. III 10, 8: et Niobae supprimat ipse lapis (cf. Rothst. [Varro r. r. 2 praef. 6]). cf. praeterea: II 23, 1; 28, 34; 32, 45; 34, 41; IV 5, 29; 10, 27 saepius. — „Neque“ loco coniunctionis „ne quidem“ habemus his locis: II 29, 26: non illa formosior umquam visa, neque ostrina cum fuit in tunica (cf. Rothst. adn.). IV 8, 43: sed neque suppletis constabat flamma lucernis. — Haud scio an etiam locus III 11, 23 ita intellegendus sit: et duo in adversum missi currus nec possent tacto stringere ab axe latus. cf. Draeger II 69 de posteriorum usu. K. P. Schulze, Beiträge zur Erklärung der römischen Elegiker, Berlin 1898, p. 4 de Varronis, Catulli, Ovidi, Horati in sat., Persii (5, 172) eiusmodi usu. cf. Hor. sat. II 3, 262. Hand Turs. IV 70 et 105, qui falso Ciceroni nonnullos locos attribuit. — „Que“

---

[1]) v. Schmalz p. 341, 228: In der Bedeutung „auch“ erscheint et bei Plautus im Personenwechsel, ebenso bei Terenz, dann bei Cicero. Ferner setzt Cicero et in unmittelbarer Verbindung mit einer Adversativkonjunktion. . . . Aber nirgends steht in klassischer Sprache et = etiam.

pro particula „quoque“ usurpant Propertius, Catullus, recentioresque. cf. Schmalz p. 342 adn.; Rothst. ad III 1, 35. cf. Cat. 102, 3. — II 33, 31, tuque o Eurytion vino peristi; III 1, 35: meque inter seros laudabit Roma nepotes. III 21, 16: qualiscumque mihi tuque puella vale! (Certe metro coactus Propertius „que“ non primo addit sententiae verbo, ut: II 28, 45; tertio loco: II 20, 12; II 32, 14; III 21, 16.) — De variatione particularum: et — que — que (ut III 3, 7), aut „que — atque“ (ut IV 5, 67) aut „atque — et — et (ut II 34, 35) Wagner p. 36; de poetarum more Draeger II 60. — Priscae linguae studiosi se praebent poetae ut Vergilius, Catullus, Propertius secuti Ennium Terentiumque, quod coniunctiones „que — que“ adhibent pro usitatis illis „et — et“. — Prop. I 2, 30; II 1, 25; 8, 14; III 7, 6; 11, 28; 13, 41; 17, 12; IV 4, 87; 8, 61. — Dicunt e poetarum numero „nec — nec“ Catullus et Propertius, inter prosae orationis scriptores Caesar, Sallustius, Livius (Schmalz p. 344, 236). — I 4, 19; 12, 5; II 1, 21; 9, 15; 14, 13; 16, 33; 20, 19; 36; III 13, 24; IV 1, 145. — „Nec — neve“ invenitur apud Verg., Ov., Iuven., Prop., (Schmalz p. 344, 236). — Prop. I 8, 11; II 13, 19.[1])

Sed:

Particula „sed“ saepius non rem contrariam significat, sed scriptor pergit in narrando, quod praecipue invenitur apud Sall., Liv., Iust. (complures locos affert Draeger I² 97, 6. — II 29, 7: pueri turba obviam venerat, quorum . . ., pars etiam visa est vincla parare. sed nudi fuerant (cf. Rothst). IV 8, 31: altera Tarpeios est inter Teia lucos, candida, sed potae non satis unus erit. I 4, 11; I 10, 11. — Ita hac perticula usus restricte dicit Propertius. quod saepius apud recentiores demum fit. cf. Schmalz p. 345, 240. Leky p. 56, qui etiam e Plauto et Phaedro affert exempla (ut Cas. 692); raro idem apud Ciceronem inveniri videtur. — IV 1, 98 vera, sed invito, contigit ista fides; IV 7, 83 hic carmen scribe columna, sed breve, quod . . . legat. 10, 11 hic spolia ausus sperare ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.

At:

(particula saepius eodem modo utitur, ut III 7, 46: pauper, at in terra; I 5, 9; I 6, 21; IV 1, 95; IV 2, 47; 4, 15; 6, 59 saepissime.) Id e sermone vulgari petitum et rituali, unde in poetarum sermonem penetravit, quod totiens „at“ dictioni excitatae iubendi, exclamandi, admirandi, obiurgandi, optandi praemittitur. cf. Schmalz p. 346. 242; Draeger II 114; Leky p. 56; Holtze II 345 m; Hand Turs. I 439. Ita Propertius usurpat hanc particulam in imperativo: I 1, 19:

---

[1]) ex aliis responsionibus profero has: modo — interdum: II 15, 5, Draeger II 89. saepius apud Sall.; cf. Hor. sat. I 9, 9; Suet. Aug. 75. modo — rursus et — interdum: I 3, 41 (Draeger 89. Kühner II² 681); modo — nunc: Draeger p. 89, Ovid., Tac., Apul. — cf. Prop. I 3, 21. modo — etiam I 1, 11 (cf. Rothst.). modo — et modo I 20, 41; II 24, 11: et modo — et — et. cf. Hertzberg I 107.

at vos agedum convertite! I 17, 23: at vos solvite! II 5, 17; 16, 13; III 11, 71; 15, 43; 19, 25; IV 1, 135; — in sententia optativa: III 8, 37: at tibi sit socer aeternum! 18, 31: at tibi portent! III 7, 63; IV 2, 61; — in admirando: II 25, 39: at vos ... quantum sic cruciat ...! II 27, 1; — in obiurgatione: III 20, 5: at tu, stulta, deos, tu fingis inania verba! II 16, 35: at pudeat! — in interrogando: III 18, 7: at nunc ... Baiae, quis deus... constitit...? — in iis quae cum animi elatione dicuntur: III 7, 71: at tu numquam mea vela videbis![1])

Uno loco pro particula „at" ante imperativum est „vero" apud Propertium: I 13, 33: tu vero utere! — De Taciti eo usu Draeger I² 127 § 338. — Vim affirmativam habet eadem particula II 1, 14 seu — seu —, tum vero... condimus.

Ve (et), vel, aut.

Ut particulae „aut" et „vel", ita apud Vergilium et Tibullum etiam „et, ve" continuant negationem. Schmalz p. 347, 247: Prop. II 1, 22: nec veteres Thebas et bina vada, regnave, Cimbrorumque minas et benefacta Mari („et" continuat negationem, ut ap. Varronem et Ciceronem ap. Prop.: I 16, 11; 19, 21; II 4, 22; 16, 47; 19, 9; III 9, 39; 22, 37);[2]) — Duobus locis coniungere videtur Propertius secutus poetarum usum (Schmalz p. 348) particulas „vel" et „aut": III 21, 25: illic vel studiis Platonis incipiam aut hortis tuis. II 2, 6. cf. Hertzberg III 371. — Ut apud Plautum, ita apud Propertium illud „vel — vel" idem significat atque: „et — et": II 8, 39: inferior cum sim vel matre vel armis. cf. Schmalz p. 347, 249, qui eam dictionem Plauto et posterioribus tribuit.

Nam:

Ut poetae comici et Apuleius (Schmalz p. 349, 254; Leky p. 57), ita Propertius pronominibus interrogativis anteponit particulam „nam". II 4, 25: nam cui...? 32, 3: nam quid...? III 11, 27; 19, 17 (quidnam: III 7, 15; III 10, 1).

Namque:

particulam raro apud optimos inveniri scriptores affirmat Schmalz p. 349, 255, saepius autem metri causa scripserunt poetae (cf. Kühner II² 714 § 170) ut Propertius: I 3, 17; 20, 17; II 25, 31; III 13, 17; 20, 21; IV 1, 109. Ut Varro et Catullus altero loco ponit hanc particulam Propertius: II 21, 12; IV 1, 57; 7, 3. De posteriorum usu Draeger II 158.

---

[1]) De huius particulae collocatione Kühner II² 688 § 163; nam apud poetas „at" saepius certe propter metrum cedit primo loco, ut Prop. I, 6, 22.

[2]) Saepius Propertius etiam particulis: aut — et — que promiscue utitur, ut: II 1, 29: aut — aut — que; III 18, 11: aut — aut — et (cf. Rothst.).

Ergo:

Sicut Horatius et Ovidius, comici particulam emphatice in initio sententiarum ponunt, ubi propositio antecedere debet, Propertius scribit: II 8, 13: ergo iam multos nimium temerarius annos? II 16, 15: ergo muneribus quivis mercatur amorem? III 7, 1; 20, 25; 21, 17; cf. Draeger II 174 de Plauti, Cic. in epp. usu; Kühner II² 743. Holtze II 366 g. — Eodem modo usurpat Propertius particulam „igitur": I 8, 1; II 6, 37; II 8, 17; III 19, 23.

Spectant ad abundantiam particularum hi loci (qui usus e sermone familiari; Schmalz p. 351, 262): I 9, 17: necdum etiam palles. cf. Cat. 64, 55 (v. Reek, Beiträge zur Syntax des Catull. Progr., Bromberg 1889, p. 3). cf. I 3, 11: nondum etiam; idem II 10, 25; II 5, 20: non solum — verum etiam. Ceterum invenitur apud Ciceronem in oratt. prioribus et apud posteriores. Schmalz p. 352.

IV. De subordinatione.

a) De consecutione temporum.

Propertius tempori historico adnectit coniunctivum praesentis contra optimorum scriptorum usum. De Plauti usu Lindsay p. 56/57; Leky p. 54; Opitz, quo sermone ei, qui ad Cic. litteras dederunt, usi sint. Progr. Naumburg 1879, p. 11. — II 13, 4 iussit ... habitare, non ut sequantur, aut possim ..., sed magis ut stupefiat; III 1, 17: quod pace legas, opus hoc detulit. 37: ne indicet provisum est. IV 11, 47: mi natura dedit leges, ne possis melior iudicis esse metu. (ne possis: codd. O, quod Rothst. probat; ne possim: v; ne possem: ς). — Praeterea tempori praesenti (non praes. historico) addit coniunctivum imperfecti: III 13, 57: tu quoque ut auratos gereres lacertos, nusquam est Amphiaraus. II 3, 39: digna facies (est), pro qua vel obiret ... (cf. Rothst. adn.). cf. Plaut. Bacch. 6, 89: nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor. (cf. Lindsay). — Denique his addo hunc locum: I 9, 23: ita praebuit, ut non presserit.

b) De sententiis interrogativis obliquis.

Saepius Propertius sententias interrogativas adnectit per parataxin loco hypotaxeos; de eo priscorum usu Draeger I² 334; Holtze II 236; Dtz.-Haul. ad Phorm. 358; Lindsay p. 66; Becker, de syntaxi interrog. obliqu. Studemunds Studien auf dem Gebiete des archaisch. Lat., Berlin 1873 vol. I. De Catulli usu Overholthaus p. 22. cf. praeterea supra p. 65. Apud Propertium idem observare mihi videor his locis: I 8, 24: dicite, quo portu clausa puella mea est? II 32, 55: dic mihi, quis potuit lectum servare? III 1, 5: dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro? IV 3, 23: dic mihi, num urit ...? num ... atterit hasta manus? — Qua cum parataxi comparare licet hos locos: II 25, 32: nescio quo pacto ... (cf. Wolff, de enunt. int. ap. Catullum, Tib., Prop. p. 42). (Hor. sat. I 7, 2; 8, 40; II 7, 22; ep. I 8, 13; 17, 2). — II 29, 3: nescio quot. Praeterea huc spectat illud „nescio quis“ (Prop. I 11, 7; II 29, 14; II 34, 66; III 23, 13), quod invenitur praecipue in sermone familiari (cf. Schmalz p. 358, 270 adn).

Certe autem ille usus vulgari sermoni attribuendus est, quo indicativus usurpatur in interrogationibus obliquis; qui usus exstat apud comicos, auct. ad Her., Varronem, Cic. in epp. ad Att. (ut 13, 18),

ap. Petr., Vitruvium, recentiores. Schmalz p. 359. De Plauti et Apulei usu v. Leky p. 45; Becker, de synt. interrog. obl. p. 116. Raro hunc usum nonnulli secuti esse videntur poetae, ut Ovidius et Catullus; cf. Magnus, B. Phil. W. 1894. 46. 1452: Verg. Aen. IV 150 (adn. Forbigeri), Tib. II 4, 17; Ov. met. 10, 637; ex Ponto: I 8, 25; ep. Sapph. 4 (adn. de Vries); e Propertio affert locum III 5, 25; Schmidt, prolegg. in Cat. p. LXXXIII. Valde autem hunc usum in deliciis habuit Propertius; nam contra Spindlerum (p. 28), qui parataxin omnibus iis locis esse statuit, de hac re mihi persuasi ea de causa, quod totiens Propertius insolentissima varietate utrumque modum, et indicativum et coniunctivum, adhibet in eadem enuntiatione; in quo usu eum iam antecessisse videtur Terentius (Andr. 649) (cf. Schmalz p. 359) et Plautus (ut Amph. 17; cf. Leky p. 45); eundem usum habet Apuleius, ut Met. 8, 1; 8, 14; Ap. 16. E Propertio nunc profero: II 16, 29: aspice quid Eriphyla invenit, arserit et quantis Creusa malis (cf. Rothst. adn.). II 30, 27: illic aspicies . . . ut Semela est combustus, ut est deperditus Io, denique ut ad Troiae tecta volarit avis; II 34, 34: referas, fluxerit ut liquor, atque ut Maeandria errat et decipit, qualis et fuerit Arion. III 5, 25: tum mihi libeat perdiscere, quis deus temperet, qua venit exoriens, qua deficit, unde luna redit, unde salo superant venti, quid captet Eurus, unde aqua, sit ventura dies, . . . cur bibit arcus aquas, aut cur tremuere cacumina et luxerit orbis, cur serus Bootes, cur coit chorus, curve non exeat aequor, et annus eat . . .; sint iura deum, Tisiphones si furit caput, aut . . . aut . . ., num — num custodit . . ., an ficta descendit fabula et timor esse potest. — Ac quod Draeger (II 447) putat Propertium ad hanc libidinem incitatum non esse nisi re metrica, equidem non credo; nam nonnullis locis indicativum scripsit, ubi per metrum licuit coniunctivo uti; ut II 34, 36 propter metrum esse potest forma „erret" pro „errat"; III 5, 29: „superent" pro „superant"; 32: „bibat" pro „bibit"; 45: „descendat" pro „descendit". Certe autem aliis locis coniunctivum metro inserere non poterat, velut: II 34, 36: dĕcĭpĭăt; III 5, 27: vĕnĭăt; dĕfĭcĭăt; 28: rĕdĕăt; 33: trĕmŭĕrint; 40: fŭrĭăt, nisi ultimam syllabam positione longam reddebat. Ergo interdum re metrica commotus hunc vulgaris sermonis usum excoluit poeta (aut saltem commoditati concessit); ad summam autem ut saepius ita hic indole sua commotus vulgarem dictionem sequitur Propertius, praesertim cum Graecorum exemplum imitari sibi videri posset. Quibus praemissis certe his quoque locis Propertium uti indicativo in interrogationibus obliquis mihi concedes: I 17, 6: aspice,[1] quam increpat (= increpet) aura; (cf. Rothst. adn.). II 34, 78: tu canis, quo seges in campo, quo viret uva iugo. („vĭrĕăt" metro inserere non poterat, nisi positione anapaestum efficiebat). III 19, 18: nam quid referam, quo tempore iram piavit amor? — Fortasse his locis addere possumus hunc locum (nisi de enuntiatione relativa rectius cogitabimus): III 6, 1: dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella (creticus „sēntĭās" in metrum dactylicum immitti non poterat).

---

[1]) ab eodem verbo pendet coni.: II 29, 37; ind. et coni. II 16, 29.

De prisc. usu Draeger II 434; de poster. ut de Petronio p. 448; Holtze II 110; Schmalz, über den Sprachgebr. der nichtciceron. Briefe p. 124; Rönsch, Itala u. Vulgata p. 428.[1])

A priscis et in sermone vulgari saepius pronomina int. „quis" et „qui" confunduntur. Schmalz p. 359, 272; Leky p. 46; Holtze I p. 391 b, 392 d; Hellmuth, de sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur; Act. sem. Erl. I 111. Idem apud Propertium fit: I 5, 18: nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser! III 5, 26: (perdiscere) quis deus hanc mundi temperet domum. (fort. in inter. recta: II 13, 47: quis minuisset miles in aggeribus? — nisi nom. „miles" praedicative usurpari existimabimus).

„Quicumque" unus Propertius pro pronomine interrogativo usurpare videtur: I 10, 19: Cynthia me docuit, quaecumque petenda quaeque cavenda forent. Schmalz p. 360; Rothst. adn. Similiter usurpat „quacumque": III 21, 5: omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari possit.

„Si" locum particulae interrogativae tenet apud poetas comicos, Propertium, interdum ap. Horatium, — Vitruvium, recentioresque (Schmalz p. 361); Leky p. 46. Sane is usus abhorret ab eleganti dictione. F. Gaffiot quidem (Ecqui fuerit „si" particulae in interrogando latine usus. Paris 1906) disputans de locis Propertianis, unum locum II 34, 51 ita interpretandum censet. Prop. II 34, 51: harum nulla solet rationem quaerere mundi, nec cur Luna laboret, nec si post Stygias aliquid restaverit undas, nec si consulto fulmina missa tonent. Similiter talem interrogationem aliis inserit III 5, 40 (libeat perdiscere v. 25) . . . atro si furit angue caput (cf. p. 74). De II 3, 5 cf. infra p. 82. (Iam vero c. III 5 inter multas illas interrogationes duae occurrunt, quibus poeta particulam non addidit: III 5, 31: sit ventura dies . . .; 39: sub terris sint iura deum . . .; cf. Draeger I² 335 de Plauti et Terentii usu, II 458 de Tacito (ann. 2, 15). Sed cf. Kießling-Heinze ad Hor. ep. I 3, 30, qui similem Horatii locum anacoluthum esse censet, quia sententia interrog. obliqua particula omnino carere non possit).

c) De sententiis relativis.

Sententia relativa interdum Propertius consecutionem mihi indicare videtur nihilo minus usus modo indicativo: II 21, 17: huic quoque, qui restat, iam pridem quaeritur alter. III 9, 17: est quibus Eleae concurrit palma quadrigae, est quibus in celeres gloria nata pedes (de illo: „est quibus" v. Frahnert, zum Sprachgebrauch des Properz, Progr. Halle 1874, p. 5, qui graecanicum id esse affirmat; Draeger II 505). III 16, 11: nec tamen est quisquam, sacros qui

---

[1]) Praetermittere nolo graecanicum id putare apud posteriores Brenous p. 356.

laedit amantes (laedit codd: FLDV; laedat: Nfv). Idem usus saepissime invenitur in sermone familiari, quamquam ne ab Ciceronis quidem sermone plane abhorret. Schmalz p. 372, 281; Kühner II 860; Leky p. 47; Kießling ad Hor. c. I 1, 3; Lindsay p. 69.

Iam vero III 11, 29 Propertius ut in sententiis interrogativis, ita in relativis varietatem modis commutatis quaesivit: quid, modo quae nostris opprobria vexerit armis et (famulos inter femina trita suos!) coniugis obsceni pretium Romana poposcit moenia et patres...? (cf. Rothst. adn.). Similis varietas est apud Plautum (Draeger II 501 § 490, 1), ut Men. 457; Curc. 480. — Certe etiam id ad variationem sermonis in sententiis relativis conspicuam pertinet, quod sententiae relativae coordinatione quadam sententia condicionalis, quae habet particulam „si, seu", adnectitur. — Prop. I 12, 15: qui potuit ... aut si ...; III 8, 11: quae mulier iactat... seu stipat. cf. infra p. 91.

Sermonis familiaris est abundantia illa, qua repetitur apud pronomen relativum substantivum, quod est in sententia antecedente, ad quod adnectitur relativum. De Plauti usu v. Lindsay p. 6, 8; idem ap. Terent., auct. b. Afr. et Hisp., Vitruvium (ut 10, 14, 6: foramina fiant, in quibus foraminibus), Petronium, Hyginum. cf. Schmalz p. 371, 279 (Cicero interdum sola nomina: res, dies, locus repetit): cf. praeterea: Leky p. 48; Thielmann, de sermonis proprietatibus quae leguntur ap. Cornif. et in primis Cic. libris, Straßburg 1879, p. 24 sq. de Cornificio; Landgraf, Bemerk. zum sermo cotid. i. d. Briefen Ciceros p. 324. I 11, 28: multis ista dabunt litora discidium, litora quae fuerant castis inimica puellis. II 1, 63: qua cuspide vulnus senserat, hac ipsa cuspide sensit opem (saepissime ut apud ipsum Ciceronem nomen pronomini relativo additur a Propertio in sententia primaria non scriptum, velut: I 4, 24; I 8, 35; I 4, 23; II 6, 24; II 6, 12; 24, 11; 32, 11; 33, 4; III 8, 27; 7, 58; 10, 15; 18, 28; IV 7, 7; 77; 11, 16). — Non alienus ab hoc ille usus est, quo interdum notionem quandam cognatam repetit apud pronomen relativum Propertius (aut partem notionis nominis prioris); de eo Catulli usu v. Reeck, Beiträge zur Syntax des Catull, Progr. Bromberg 1889, p. 9. Prop. I 14, 5: nemus, quantis arboribus; II 2, 21: facies ..., qualis est color; II 13, 1: sagittis, spicula quot ...; 34: laurus, quae tegat umbra (cf. Rothst. I 2, 22); III 17, 39: haec ego non humili referam memoranda cothurno, qualis Pindarico spiritus ore tonat (cf. II 5, 11: non ita, quam facile; II 9, 33: non ita, quam cito).

Assimilatio nominis casus ad pronominis relat. casum non minus sermonis familiaris esse videtur, nam habent eam Terentius (ut Heaut. 37), Varro, auct. ad Her., auct. b. Afr., Cic. (ad Att. 10, 8, 7), Livius, Gellius, Lactantius. Schmalz p. 373, 283; Holtze I 387. cf. Kießling ad Hor. sat. I 6, 14: notante iudice, quo nosti, populo. Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 24. Propertius quoque unum eiusmodi habet locum: I 26, 5: vidi te ... ducere ..., qualem ... Hellen, quam ... (cf. Rothstein adn.).

Insolentior ille usus est, quo Propertius appositionem sententiae relativae anteponit, non inserit, qui usus raro invenitur apud Livium et Velleium, usitatior autem fit scriptoribus hist. Aug. — Schmalz p. 372, 280. Sed etiam Propertius tale habet exemplum: II 3, 21: et sua committit scripta, carmina, quae quivis non putat aequa suis.

Si sententiam relativam particula et appositioni adnectit, quacum eodem ordine est, optimus quisque scriptor coniunctivum scribit; posteriores autem interdum indicativum scribunt, atque primum id facere affirmat Schmalzius Statium p. 374, 284; hunc autem usum iam Propertius aliquo modo praeparare mihi videtur hoc loco: I 4, 12: sunt maiora . . .: ingenuus color, et multis decus artibus, et quae gaudia sub tacita dicere veste libet.

Interdum pro sententia relativa Propertius scribit sententiam condicionalem, ut: II 23, 23: nullus liber erit, si quis amare volet (cf. Rothst.); I 9, 26; II 24, 48. Iam apud Plautum is usus esse videtur. Holtze II 371. Plaut. Rud. 373.

d) De coniunctionibus in subordinatione adhibitis:

1. quia:

Interdum pro illo „non quo — sed quod, non quod — sed quod" Livius, Quintil., Tacitus, Plin. epp. scribunt: — non quia, cui coniunctioni addunt coniunctivum, ut Prop. II 16, 23. Sed insolentius Propertius ei addit indicativum: I 11, 17: non quia non es mihi cognita, — qui modus invenitur ap. Lucretium (II 3), et apud recentiores. cf. Schmalz p. 380.

2. quam:

Uno loco post „aliud" Propertius scribit „quam": II 21, 9: dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te quaeritur. Idem invenitur ap. Varronem, Livium, Sen., Plin. epp., Gellium. Schmalz p. 383, 298.

E comicorum sermone vulgari in nonnullorum poetarum Augusteae aetatis sermonem transiit ille usus, quo „quam" exclamationi anteponitur. Leky p. 49. Prop. I 5, 26: quam cito de tanto nomine rumor eris! I 15, 33: quam tibi ne viles isti videantur ocelli! I 19, 21: quam vereor, ne . . .! II 26, 7: quam timui! cf. Ovid. met, IX 475. Leky (p. 50) comparat illum Apulei usum, quo saepius particulae „quam" subiungitur coniunctivus potentialis, cum „quam" sequitur comparativum, cum comicorum usu. Idem scribit Propertius: II 9, 49: non ob regna magis diris cecidere sub armis Thebani, quam . . . mortem ego non fugiam; II 15, 31: terra prius deludet et citius Sol agitabit equos fluminaque incipient revocare liquores . . ., quam possim . . . transferre; III 19, 5: flamma citius sedetur, quam . . . possit . . .; II 25, 25: prius deposcit praemia, septima quam metam triverit ante rota.

3. postquam:

Postquam particulae addit plusquamperfectum Propertius IV 9, 63: at postquam exhausto iam flumine vicerat aestum, ponit — iura —, quod tempus huic coniunctioni additur a Terentio (Andr. 177), Caec. Statio, Cic. epp. (Cael. fam. 8, 8, 2), Nepote, Livio, Tacito, semel a Vergilio. Schmalz p. 385, 300, 2; Draeger II 560; Köhler, de auct. b. Afr. et Hisp. lat. p. 420 (auct. b. Afr. 37, 1: Caesar postquam auxerat, iubet). Streifinger, de synt. Tibull., Würzburg 1881, p. 26. Lygd. 4, 41.

4. quamvis:

Contra optimorum scriptorum genus dicendi Propertius coniunctioni „quamvis" addit indicativum, ut Lucretius, Varro, Nepos, semel Livius (2, 40, 7), Petronius, Celsus, Columella recentioresque, interdum Aug. aet. poetae. Schmalz p. 388, 304. Draeger II 740; numquam Propertius scribit „quamquam", qua particula Caesar abstinuit, non abstinuere Hor. Verg. neque Hirtius b. g. VIII. — Prop.: I 18, 13: quamvis dolor debet. II 8, 37: quamvis ista mors est inhonesta futura; II 24, 38: quamvis ... eras; III 19, 28: victor erat quamvis ... — Poetarum more „quamvis" addit participio Prop. I 15, 13.

5. quando:

„quando" sensu temporali Cicero nusquam habet in orationibus, neque omnino nisi in scriptis prioribus; saepissime autem ita usurpatur a Plauto (Lindsay p. 106; Holtze I 106), ita ut abhorrere videatur ab eleganti dictione. Schmalz p. 389, 305; raro invenitur ap. Lucretium, Vergilium, Horatium. — Prop. I 10, 25; II 27, 11. — Sensu causali scribit quando Propertius II 10, 8; Lindsay p. 120; „quandocumque" sensu temporali usurpat Propertius II 1, 71; II 13, 17; quod invenitur apud Catonem, Horatium, auct. b. Alex.

6. dum:

coniunctioni „dum" (während) optimi scriptores addunt praesens; Propertius autem uno loco habet imperfectum: IV 10, 33: dumque aries pulsabat, Cossus ait ...; Lindsay 134; Köhler, de auct. b. Afr. et Hisp. p. 421. Plaut. Truc. 164; b. Afr. 51; Liv. 5, 47, 1. — „nedum" apud Terentium (ut Heaut. 454), Lucretium (ut I 653), Ciceronem sententiam negativam subsequitur, affirmativam apud Aug. aet. poetas, Livium, Tacitum. — Prop. I 9, 31: illis possint cedere quercus, nedum tu possis ...

7. cum:

IV 4, 10 Propertius in eadem sententia huic coniunctioni et indicativum et coniunctivum addit: quid tum Roma fuit, cum ... quateret atque ... stabant (cf. Rothst. adn.). Neque omittere licet illud „cum tamen", quod est apud Livium et Aug. aet. poetas, ut Prop. I 1, 7 (Schmalz p. 395, 309). (Saepissime Propertius „cum"

liberius adnectit sententiis, imprimis singulis verbis, de quo usu v. Rothsteini adn. I 8, 13; — I 8, 13; I 22, 5; IV 3, 11; 47; 63; IV 4, 57).

8. quoniam:

„quoniam" interdum scribit Prop. pro „quod" aut „quia" ut Lucretius et argenteae latinitatis scriptores. — Prop. III 23, 12: irascor quoniam es moraturus heri. I 17, 1; II 33, 13; IV 7, 46.

9. ut:

„Ut" saepius apud Plautum occurrit in exclamationibus. Leky p. 51. — Prop. II 33, 35: me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo! — „Ita (sic) — ut" adhibetur a Propertio in iure iurando coniunctum cum indicativo: I 18, 11: III 15, 1; coniunctivum addit: I 21, 5: sic te servato, ut possint gaudere parentes! cf. Plaut. Poen. 289. Cic. fam. 5, 21, 1.

Pro quo in sermone familiari simplex parataxis scribitur, ita ut particula „ut" omittatur. Schmalz p. 354; Blase, Synt. p. 129; Leky p. 42; Dtz.-Haul. ad. Phorm. 165; Meissner, N. Jahrb. Suppl. B. 12 p. 527; Lalin, de partic. comparat. usu ap. Terentium 1894 p. 24; Segebade, observ. gram. et crit. in Petronium p. 9; Kießling ad Hor. c. I 3, 1. — Prop. I 7, 3: atque, ita sim felix, primo contendis Homero. IV 3, 67; IV 7, 52; II 14, 20 ut saepius apud comicos futurum scriptum est: sic hodie veniet, siqua negavit heri. A quo usu discernendus est ille similis, quo particula „sic" quasi promittitur aliquid. Prop. III 6, 1: dic mihi ...: sic tibi sint dempta iuga (= in solchem Falle). Kießling. Invenitur is usus apud poetas, qui eum ceperunt e sermone familiari. I 15, 36: Propertius verbo „iuro" addit particulam „ut".

10. ne:

Raro coniunctioni „ne" post verbum timendi „additur coni. fut.; Prop. II 29, 28: neu sibi neve mihi quae nocitura forent (Schmalz p. 357. — Varro l. l. 165 M.; Cic. Verr. V 163; Matius ap. Cic. fam. XI 28, 8). — Interdum verbum, cui notio timoris inest, supplendum est, ut Prop. II 7, 3: flemus, ni ... (cf. Rothstein); id. II 27, 10; I 3, 28: obstupui ne ...; III 12, 9: illa tabescet, ne ... — Ad locum II 19, 32: „nemo ne velit" cf. Ov. Pont. I 1, 66; Tib. IV 7, 8 (Schmalz p. 357 adn.). cf. graecum: μὴ οὐ.

11. si, nisi:

De condicionalibus sententiis disputantes proficiscamur cum Draegero a modo sententiae secundariae: deinceps in unaquaque parte disponamus materiam secundum tempus sententiae secundariae. Sed praemitto interdum etiam indicativum in sententia secundaria significare rem, quae fieri non potest, ut: II 32, 44: O nimium felicem Romam, si contra mores una puella facit. II 22, 20.

A. In sententia secundaria coniunctioni „si" additur indic. praes.

a) exemplar: si est — erit:

Ante et post Ciceronem saepius invenitur quam illud „si erit —

erit“, quod Cicero praeferebat. Schmalz p. 412. E comicis locos affert Draeger II 674 d, e Livio, Sen. ep., Nep. p. 687/88. Lindsay p. 126. I 18, 19: vos eritis testes, si quos habet arbor amores; III 6, 31: si non vana canunt mea somnia, . . . poena erit; II 29, 34; III 18, 43.

β) si est — fuit:

raro inveniri affirmat Draeger. qui locos profert e comicis, quattuor Lucretianos et praeterea duos solum se nosse eiusmodi locos dicit (Cic. Att. 16, 15, 5; Tac. ann. 3, 12). — Prop. IV 9, 45: sin aliquem vultusque meus saetaeque leonis terrent . . ., idem ego feci. I 22, 3; II 3, 15; qui loci haud scio an brachylogia quadam scripti sint, ut Lucr. V 7: si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum, dicendum est, deus ille fuit, deus (so sage ich dir, er war ein Gott). cf. Draeger II 673.

γ) si est — sit:

sermonis familiaris proprium est hoc genus, ubi in apodosi exstat coniunctivus potentialis aut optativus, et invenitur ap. comicos. Lucretium, Varronem, Cic. epp., Ovid., Hor. sat., Iuvenal., Martialem, Schmalz p. 415, 341. Draeger II 675. — Prop. II 24, 15: a peream, si me ista movent dispendia! I 6, 12: a pereat, siquis lentus amare potest; II 3, 41; 10. 17; 16, 35; 20, 16; 21, 9; 22, 37; 28, 50; 23, 12; III 6, 24; III 12, 5; IV 7, 54; 11, 19; 11, 27. II 15, 12: viderit haec si quam iam peperisse pudet.

Huc iam afferam illos locos, ubi optativus in apodosi, in secundaria autem sententia aliud tempus ac praesens est, ut: II 4, 1: hic saltem ut tenear iam finibus aut, mihi si quis, acrius ut moriar, venerit alter amor! II 22, 39: aut si forte irata meo sit facta ministro, ut sciat . . .

B. In sententia secundaria coniunctioni „si“ additur indic. perf.

α) „si fuit — erit“:

raro invenitur, atque primum quidem apud Ciceronem. Schmalz p. 412. Draeger dicit quattuor se nosse locos: Cic. Phil. 9, 1; fam. 7, 14, 1; Liv. 22, 60, 14; Tac. ann. 3, 12. — quibus locis addo hunc Propertianum: II 14, 20: sic hodie veniet, si qua negavit heri.

β) si fuit — esto:

pertinet ad sermonem familiarem (Schmalz p. 415, 341; Draeger II 678) et invenitur ap. Ter., Sall., Tac., Iuven., numquam apud Cic., interdum autem in epp. ad Cic., ut Cael. fam. VIII 1; Cassius fam. XV 19. — Prop. I 17, 27: si quando vestras labens Amor attigit undas, mansuetis socio parcite litoribus. II 18, 3; II 32, 61; III 6, 35.

γ) genus: si fuit — sit:

Praeter locos quos supra attuli, coniunctivus optativus est in apodosi II 9, 47: atque utinam, si forte pios eduximus annos, ille vir in medio fiat amore lapis! — spectat hic locus ad serm. fam.; Schmalz p. 415, 341. Uno loco I 10, 23 in apodosi est prohibitivus: neu si quid petiit, ingrata fronte negaris neu . . . cadant. Denique in apodosi est

coniunct. iussiv. plusquamperf.: IV 7, 29: si piguit portas ultra procedere, at iussisses ...

C. In sententia secundaria coniunctioni „si" additur ind. imperfecti aut plusquamperf.

Raro quamquam apud ipsum Ciceronem (Schmalz p. 412) invenitur: 'si fuerat — erat'; — Prop. II 22, 11. Insolentior certe est hic locus: III 11, 37: issent melius tibi funera vel („tibi melius fuisset" per ellipsin suppl.; cf. Rothst. adn.), tua si socero colla daturus eras. Quocum comparo Plaut. Pseud. 273: si amabas, invenires mutuom; cf. exempla, quae profert Lor. ad h. l. — Truc. 748; Apul. Met. 1, 14.

D. In sententia secundaria est futurum:

α) si fuerit — est:

saepius occurit apud Plautum (ut Poen. 671), Cic. in epp. (ut fam. XVI 12, 4; Planc. fam. X 11, 3). Schmalz p. 412; Leky p. 52. Prop. II 18, 31: an si quaedem sua tempora tinxerit, idcirco caerula forma bona est? II 13, 15; IV 1, 105; IV 8, 13.

β) si erit — fuit:

saepissime invenitur apud poetas comicos, rarissime apud Ciceronem. Schmalz p. 412; Draeger II 684 g. — Prop. IV 6, 43: quam nisi defendes, murorum Romulus augur ... vidit; II 34, 93.

γ) si c. fut. — imp. praes.

Imperativus praes. saepius invenitur ap. priscos (Holtze II 106; Draeger II 684), rarissime posteriore aetate, ut Cic. Att. 3, 4; Liv. 4, 5, 6; Sen. ep. 80, 9. — Prop. II 1, 75: si te ducet ... via, ... siste ...

δ) si erit — fuerit:

cuius generis Draeger II 682 se solum afferre posse affirmat hos locos: Plaut. Trin. 465; Ter. Andr. 397; Ad. 817. — Prop. IV 3, 3: si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit, haec erit e lacrimis facta litura meis.

ε) si erit — sit:

quod certe spectat ad sermonem familiarem. Schmalz p. 341; Draeger II 685 h. — Prop. II 4, 27: hostis si quis erit nobis, amet ille puellas. II 14, 31; 24, 25; IV 4, 45.

E. In sententia secundaria est coni. praes. aut perf.

Ut et Plautus et Propertius in sententia optativa scribunt coniunctivum praesentis pro coni. imperf. (Prop. II 2, 15; II 9, 48; Schmalz p. 413), ita Propertius eundem usum habet in sententia condicionali: II 26, 23: non si Cambysae redeant et flumina Croesi, dicat ...

α) si sit — est:

saepissime invenitur ap. comicos (Lindsay p. 124; Plaut. Amph. 336; Stich. 171), raro ap. Cic. et Liv., sed inde a Taciti tempore saepius invenitur quam illud „si sit — sit". Schmalz p. 413, 339. — Prop. II 5, 16; 23, 16; 30, 11 (bis).

Neque aliter res se habet in genere: β) si sit — erit: Lindsay p. 123; Plaut. Bacch. 1172. — Prop. II 10, 5; 15, 37; 30, 3.

F. In sententia secundaria est coni. imperf.

Duos huc affero locos: — Prop. III 16, 21: quod si certe meos sequerentur funera casus, talis mors pretio vel sit emenda mihi. cf. Plaut. mil. 1356: si ita tibi sententia esset, tibi servire mavelim. Lucr. I 592. Lindsay p. 125. — Prop. II 15, 17: quod si pertendens animo vestita cubares, scissa veste meas experiere manus. — Ut Hor., Ovid., Liv., Vell., Tacitus, ita Propertius participio fut. addit sententiam condicionalem I 15, 27. Schmalz p. 415, 342; Draeger II 725. — Praeterea Propertius verbis exspectandi addit coniunctionem si, qui usus est apud priscos, Caes., Cic. epp., Liv. (Schmalz p. 416, 343) et imprimiis proprius est sermonis familiaris (Draeger II 706). Prop. II 29, 23: volui, si quiesceret, visere (cf. Paut. Trin. 748: vide, si . . .; Ter. Eun. 545: visam si domist; id. Phorm. 899). II 3, 5: quaerebam, si posset piscis harena vivere . . . — „sive — sive“ sensu concessivo invenitur apud Propertium et Lygd., ut apud Plaut.: „si — sive“. Schmalz p. 419, 437. — Prop. II 25, 9; II 34, 81. — Iam vero II 1, 51 varietate quadam et indic. et coniunctivus adnectitur: seu mihi sunt tangenda pocula, seu mihi pereundum est, sive urat, ex hac ducentur funera nostra domo. — „si modo“ Cicero semper coniungit cum indicativo. Schmalz p. 420, 348. Propertius autem sicut Hor., Ovidius scribit coniunctivum. — Prop. I 18, 4; II 17, 10. — Ordo verborum inversus „modo si“ invenitur ap. Plautum (Amph. 646), Terentium (Ad. 205), Ovid., Apul., ut ap. Propertium II 17, 10. — „Si tamen“ est apud Propertium (II 30, 35) sicut ap. Lucretium, Sallustium, Aug. aet. poetas. Schmalz p. 420, 348.

12. quin:

In sermone familiari saepe „quin“ significat gradationem. Schmalz p. 421, 350; Leky p. 54; Holtze II 316 d. — Prop. II 18, 21: quin ego deminuo curam (cf. I 17, 5; II 34, 93. Rothst. adn.). „quin“ pro vocabulis „quin etiam“ scribunt poetae ut Prop. II 10, 15. Schmalz. — similiter Prop. scribit „quin et“ („quin etiam“): IV 11, 44. cf. Verg. Aen. 7, 750; Hor. carm. I 10, 13.

V. De partibus orationis singulari ratione usurpatis:

a) De substantivis, adiectivis, adverbiis.

Certe sequitur communem poetarum morem Propertius, si substantivis abstractis utitur pro concretis, ut: I 2, 31: nostrae vitae (= nobis); I 15, 20: tabuit hospitio; II 13, 22 (mea mors). Plura afferunt: Rothstein adn. I 20, 15; Hoerle, de cas. usu p. 79, de aliorum usu Draeger I² 22. Nec minus poetarum more Propertius singulari substantivorum utitur pro plurali. cf. Schmalz p. 432 e. — Prop. I 20, 40: flos; id.: II 3, 57; III 10, 16; rosa: III 5, 22; III 3, 36; dies II 18, 20; manus II 18, 9 etc. — Draeger I² 4 § 3. Quantum ad talem usum re metrica commoti sint poetae, bene demonstrat Bednara p. 79—83. Similiter metro coacti, quod postea commoditati concesserunt, poetae libenter illum vulgaris sermonis usum exceperunt atque multum excoluerunt, quo numerum pluralem adhibent pro singulari. Bednara p. 49—79. — De Properti usu disputant Rothstein adn. II 24, 25; Wagner p. 5; Kuttner, de Properti elocutione p. 24. Draeger I² 5.

Inde a poetarum Aug. aet. temporibus etiam liberior usus adiectivorum observatur loco substantivorum. Schmalz p. 434; Draeger I² § 24. De Propertio Wagner p. 21. — Sed sermonis familiaris praecipue proprium erat adiectivis III. decl. uti pro substantivis, si praepositio eis addebatur. Schmalz p. 434; — Prop. III 21, 6: ex omni (saepius adi. II. decl. ita usurpat, ut: III 16, 5: sine vano; I 10, 24: pro vano; II 10, 6: in magnis). Velut Rothstein II 19, 16: dictionem: „Omnia sint tuta“ refert ad sermonem vulgarem. — Ita Propertius etiam comparativos usurpat pro substantivis, ut: I 4, 12: maiora; — praepos. addit: I 17, 9: in melius; — quem usum praecipue Tacitus in deliciis habet. Schmalz p. 434. — E familiari in poetarum et posteriorum sermonem inlatus est ille usus, quo adiectiva, velut „multus, paucus, plurimus, omnis, singulus“ adnectuntur nominis singulari numero, ubi revera non de una re, sed de multis agitur. Schmalz p. 437, 8. — Prop. I 3, 9: multo Baccho; II 33, 35: multo Lyaeo; III 13, 8: multi ordoris Arabs; IV 9, 4: multa arbor; — II 19, 10: plurima causa; — II 18, 20: haud longa die.

Praeterea comicis et familiari sermoni perusitatum est ad augendam vim adiectivi adhibere adverbia; ut scribit Propertius

I 15, 27: nimium audax; II 8, 13: nimium temerarius: II 21, 15: nimium faciles puellae; III 13, 4: nimium libera; III 24, 2: nimium superba; II 21, 6: nimium credula; II 32, 43: nimium felicem (cf. Rothst. adn.). Rarissime hoc invenitur in perfecta latinorum dictione. cf. Cic. fam. VII 13, 1. Eundem usum excoluerunt recentioris aetatis scriptores. Schmalz p. 437, 9, 1; Lindsay p. 86; de auctore b. Hisp. Degenhart p. 24. — Similiter abhorret ab optimorum script. usu scribere „satius“ adverbii loco. Varro r. r. I 2, 26. Prop. II 34, 31: satius memorem (Rothst.). — „satis“ ita adhibet Cicero praecipue in epp., Caes., Sall. (Schmalz p. 438), ut Prop. I 2, 25: ampla satis forma; 19, 36: satis longus; II 7, 16; 13, 25; 18, 30.

„nequiquam“ uno loco est ap. Cic. in orat. (Quinct. 79), qui fortasse sequitur Terentium; ceterum non invenitur nisi in epp. et apud posteriores. — Prop. III 17, 23: vēsanum nequiquam (Antibarb. II⁶ 130).

Iam vero unus locus habet illud sermonis familiaris proprium: II 34, 6: „bene concordes“, de qua dictione multi verba fecerunt, ut: Wölfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein, Philol. 34, 1876, 140. Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache, Kiel 1882, p. 7; Draeger I² 129. — Cui addere possumus illum adverbii „bene“ usum, quo additur coniunctioni „cum“, quem Rothst. refert ad sermonem familiarem. — Prop. IV 1, 141.

Contra elegantem dictionem Propertius verbo „esse“ addit adverbium, quamquam raro apud Ciceronem in libris quoque invenitur. Schmalz p. 280; Holtze, synt. Lucret. lin. p. 117; Holtze II 6 de priscis; Lindsay p. 79; Draeger I² 192 § 115. Stinner, de eo. quo Cicero in epp. usus est, sermone II 3, qui optime hunc in epp. usum discernit ab usu in libris conspicuo. Kraut, Über das vulg. Element i. d. Sprache des Sall., Progr. Blaub. 1881, p. 9; de Catullo Overholthaus p. 17; Leky 14. — Prop. II 21, 16: discite temere esse; II 25, 34: non solet esse diu (cf. Cic. Att. 15, 3, 2). II 33, 18: cornua rursus erunt. III 5, 46: timor haud ultra quam rogus esse potest.

Saepe Propertius comparativum circumscribit adverbio „magis“, qua re poetarum fere usum sequi videtur; — I 10, 27; II 3, 10; III 22, 19; III 5, 48.[1]) De priscorum usu v. Holtze II 206. — Cum comparativo „durius“, qui est I 15, 28 (si quid forte tibi durius inciderit) cf. Planc. ap. Cic. fam. X 21, 2 (si durius aliquid esset). cf. Rothst. adn. (euphemistischer Komparativ . . ., der der Umgangssprache geläufig gewesen zu sein scheint). — Fortasse ad vulgaris sermonis ubertatem spectat hic locus, quo augetur vis superlativi: „II 25, 1: unica pulcherrima“; ita certe ad vulgarem sermonem est referendum, quod ad augendam vim comparativi dicit Propertius: I 16, 17: penitus crudelior; id. adverbium Vell. 2, 27 addit superlativo; Hand Turs. IV 428.

---

[1]) Quantopere metro commotus sit, facile cognoscitur: I 10, 27: hŭmĭlīs magis pro: tŭmĭlĭor; — commodior erat circumloc.: II 3, 10: „măgĭs ālbă mĕa“ pro: „ālbĭōr mea“; id. ceteris locis.

b) De pronominibus.

„Tute“ pro simplici „tu“ Cicero saepius scribit in epp., raro in scriptis philos.; praeterea invenitur apud comicos. Holtze I 349, 2; Schmalz, Über den Sprachgebr. der nichtciceron. Briefe, Z. f. d. Gw. 35 p. 97.

Praeterea sermonis familiaris esse videtur pronomine possessivo uti substantivi loco. Lindsay p. 41. 2; Dtz.-Haul. adn. ad Phorm. 80. — Prop. III 14, 22: ad latus suae. cf. Hor. c. I 15, 32 c. adn. L. Mülleri). Inde a Plauto in sermone vulgari pronomen reflexivum sententiae secundariae refertur ad subi. enuntiationis superioris, quamquam non pendet e cogitatione subiecti primarii. Schmalz p. 442, 3; Holtze I 363; Draeger I[3] 75 § 30; Leky p. 61; Lindsay p. 47; Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. p. 26; Hellmuth, Act. sem. Erl. I 130; Kraut, Über das vulg. Elem. i. d. Spr. d. Sallust. p. 10, 4; Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangsspr. p. 22. — Prop. I 4, 26 non ullo gravius temptatur Cynthia damno, quam sibi cum rapto cessat amore deus. (cf. II 1, 52: mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae, pocula privigno non nocitura suo; cf. Rothst. adn.).

Quod totiens Propertius pro pronomine „is“ scribit „hic“, sequitur argent. latin. usum. Schmalz p. 444, 18. Prop. II 9, 23; 18, 22; 26, 29; 32, 48.

Pronomine „iste“ saepe contemptim loquitur Prop. de tertia persona, ut I 8, 3 (cf. Rothst.); 11, 28; II 9, 24. Idem pronomen spectat ad illud, de quo paulo ante dixit; de Prop. usu Kuttner p. 49. Pronomina „hic — ille“ (der erstere — der letztere) ita scripta, ut „hic“ ad personam remotiorem, „ille“ ad propiorem pertineat, in arg. latin. sermone invenitur. — Prop. II 1, 37; III 14, 17; Wagner p. 24; Schmalz p. 444, 18 adn. 1.

Neque id omittendum esse putavi Propertium saepissime ut Ciceronem (quod rarissime invenitur apud alios poetas; Schmalz p. 445, 19) uti dictione „quodsi“, ut I 1, 37; 5, 9; 25; II 1, 17; 7, 15.

Uno loco Propertius eodem pronomine demonstr. alteram personam alteri opponit, qui usus saepissime invenitur ap. comicos et in sermone familiari. cf. Leky p. 62. — Prop. III 3, 35: haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis aptat.

Accedit Propertius ad vulgaris sermonis neglegentem dictionem eo, quod omittit pron. demonstr. ante pron. relativum; post comicos et Catonem haec dicendi ratio posteriore aetate iterum invenitur. Schmalz p. 445, 20; Leky p. 62; Holtze I 356, 11; Lindsay p. 7. E Propertio notanda puto: I 16, 37: te non ulla meae laesit petulantia linguae, quae solet irato dicere tota loco. I 18, 24: an tua quod peperit nobis iniuria curas, quae solum tacitis cognita sunt foribus. II 23, 13: reiecto quae libera vadit amictu . . . et saepta . . . placet? cui saepe . . . conteritur via . . . nec sinit . . . IV 11, 53: quaelibet . . . de me ferat urna . . ., vel tu, quae . . ., vel cuius rasos cum Vesta reposceret ignis, exhibuit vivos carbasus alba focos. II 23, 21; III 7, 34; IV 4, 53; IV 5, 51.

Ut pronomina interrogativa, ita indefinita „quis“ et „qui“ non

discernit Propertius. cf. Holtze I 397; Leky p. 62. — Prop. II 4, 1: si quis alter amor. (cf. supra p. 75).

Pronomen „quisquam“ pro adiectivo usurpant comici, Cicero imprimis in epp., raro in libris. Holtze I 402; Draeger I[2] 99. — Prop. IV 7, 13: nec cuiquam melior sperande puellae.

Raro apud optimos scriptores pronomen „aliquis“ occurrit post coni.: „si, nisi, ne, num“. Holtze I 399; Leky p. 63. — Prop. III 12, 18: neve aliquid de te flendum referatur in urna. II 34, 53: si aliquid; II 14, 31; II 22, 5; 11; IV 6, 81; 9, 45 (commendabantur quidem ea metrica ratione).

Rarius Cicero, saepius poetae Aug. aet. et argent. lat. script. pronomina „quicumque“, „quisquis“ sensu indefinito usurpant (Schmalz p. 447, 23), ut scribit Propertius: II 1, 15: seu quidquid fecit sive est quodcumque locuta; 20, 13; 21, 19; III 1, 30: qualemcumque Parim. 21, 16; 23, 9; (cf. Rothst. adn. I 8, 33). — „ubicumque“ eodem modo usurpant Hor., Ovid., Lucanus, ut Prop. I 20, 10.

Congruenter cum vulgari sermone scribit Propertius: „utrique“ de duobus personis. I 13, 20: non ego complexus potui diducere vestros: tantus erat demens inter utrosque furor. Eundem usum habent Terentius, Plaut., Cic. epp. (fam. XII 13, 4; Att. 14, 14, 4), Liv., Tacitus. Schmalz p. 448, 26; Leky p. 64; Degenhart, de auct. b. Hisp. eloc. p. 28.

Numerus singul. pronominis „nullus“ substantivi loco usurpatus invenitur apud Plautum et posteriores; Antibarb. II[6] 156; Lindsay p. 51. — Prop. II 33, 41: nulla; 28, 30; 29, 42; III 8, 35; I 15, 23; nullus: II 7, 14; 23, 24. Ablat. „nullo“ Propertius sicut posteriores habet: III 6, 21: nullo facto; III 14, 25: nullo praemisso; sed dubito de loco II 25, 17. cf. supra p. 22.

Pro plurali „omnes“ Propertius scribit „toti“, quo usu eum Plautus, auct. b. Hisp. et Alex. antecesserunt; Schmalz p. 449, 28; Holtze I 411, 43; Leky p. 64; Koehler, de auct. b. Afr. p. 398. — Prop. I 16, 38: quae solet dicere tota; III 13, 35: pellis totos operibat amantis; IV 8, 85: totas lacernas (cf. II 29, 13; I 6, 7).

„Quanti“ Propertius usurpasse videtur pro pron. „quot“, quem secuti sunt Statius recentioresque; Schmalz p. 449, 28; Draeger I[2] 104 § 53. — Prop. I 5, 10; 14, 6. Idem primus pro pronomine „tot“ dixit tanti, ut postea Lucanus, Statius, Manilius recentioresque. — Prop. IV 11, 12; III 20, 4.

c) De numeralibus.

Ut Verg., Ovid., Tib., ita Propertius numeralibus distributivis utitur pro cardinalibus. II 1, 22; (cf. Rothst.); 16, 23; III 10, 4; 22, 16; IV 10, 2; 26; 8, 80. — Ac poet. Aug. aet. more dicit: III 12, 15: ter quater felix. — Sermonis familiaris et poet. sunt hi loci: II 9, 3: bis denos per annos (cf. Rothst. adn.); III 6, 40: bis sex dies; II 20, 7: bis sex ad busta. Schmalz p. 451, 31; Draeger I[2] 108 § 159.

Certe autem sermonis familiaris est, „semel“ usurpare sensu indefinito. cf. Plaut. Merc. 619; Cic. (qui usum saepius in epp., interdum in oratt. prior. habet, — cf. Antibarb. II 505); Att. I 19, 6; XIV 13, 6; IV 1, 2. — Prop. I 13, 33: quoniam semel (cf. Rothst.). I 15, 20: ut semel; IV 11, 3: cum semel; II 30, 10: lumina capta semel.

d) De verbis.

Praesertim in vulgari sermone verba simplicia usurpantur pro reflexivis (Schmalz p. 452). De his et similibus v. Elter, Die Gladiatorentesseren, Rh. Mus. 41, p. 539, praec. 543, qui demonstrat quomodo talia sermonis militaris propria e rerum natura intellegantur (ut p. 542: terra movit: ein etwas hat die Erde bewegt: an der Erde hat sich eine Bewegung vollzogen: die Erde hat gebebt; cf. p. 545: . . . natürliche Streben nach aktivem Ausdruck aller Tätigkeiten . . .); Heinze ad Lucr. III 69: Lindsay p. 54; cf. Holtze II 12; Rebling, Charakt. d. röm. Umgangssprache p. 23. — Prop. IV 11, 97: bene habet (I 16, 28: vocula vertat in auriculas; IV 2, 11); III 10, 6: ponat in sicco unda; I 19, 12: traicit litora amor; II 5, 11: variant undae; II 6, 33; II 17, 8: toto monte volutet onus; IV 8, 8: torquet. E verbis quae eodem usu quo apud Propertium nisi in familiari sermone non usurpantur, affero haec: detineo (= retineo) III 2, 1; dispereo: II 21, 9: (Schmalz, Über die Latin. des P. Vatin. p. 43). defit: I 1, 34 (cf. Dtz.-Haul. adn. Phorm. 162). arguto: I 6, 7. iugulo: II 33, 29; II 8, 4; (cf. Thielmann, Stilist. Bemerk. z. d. Jugendw. Cic., Bl. f. d. bayr. Gw. 1880, 16 p. 209). madeo: IV 4, 75; (cf. Plaut. Men. 326; Rothst. adn.). ploro: II 14, 14; 23, 18; III 12, 1; IV 3, 26 (Stinner, de eo, quo Cic. in epp. usus est, sermone I, de verb. delectu, Oppeln 1849, p. 12; Cic. Att. 15, 9, 1). sibilo: IV 7, 54; (Cic. Att. II 19, 2; Stinner). tero: III 11, 30: famulos inter femina trita suos (Petr. 81; Rothst. adn.); vapulo: II 12, 20 (Stinner; Cic. Att. II 14, 1). vellico: II 5, 8. — Praeter verbum dispereo (II 21, 9; cf. supra) uno loco inveni verbum decompositum: superobruo: Prop. IV 4, 91. Schneider, de Prop. serm. novat. p. 24.

e) De particulis.

Plautus, Ennius, Terentius, Varro, Cato, Catullus altera negatione alterius vim augent. Schmalz p. 456; Kühner L. Gr. II § 149 8 n. 8; Hand Turs. IV 110; Lindsay p. 131; Leky p. 55; Segebade, observ. in Petr. p. 7; v. Guericke, de ling. vulg. rel. ap. Petr. et in inscript. pariet. Pomp.; diss. Regim. 1875, p. 59; Schulze, Beiträge zur Erklär. der röm. Elegiker, Progr. Berlin 1898, p. 16 (Bücheler Anth. Lat. II 1 p. 66; Brix. Men. 371). — Prop. II 19, 32; absenti nemo non (= ne) nocuisse velit! (quem locum praeter loc. Catullianum iam profert Schulze). II 30, 3: non si . . . nec si . . . nil tibi proderit. II 29, 42: ex illo felix non mihi nulla fuit. II 19, 5: nullus erit corruptor

... nulla neque orietur rixa. — Dictio „nullus nec — nec" ap. Cic. praec. in epp. inveniri videtur (cf. Rothst. adn. II 19, 5), Prop. III 3, 23.

Praeterea negationum loco usurpat Porpertius „vix" (III 21, 7; fort. II 4, 32) et „nec minus" (i. e. „nec non" I 3, 5; 15, 7; 32, 59); Schmalz p. 457.

„Non frustra" (i. e. nicht unrichtig) scribit Propertius II 12, 5 ut prisci (Plaut. Amph. 974) et posteriores (Quint. X 1, 56). Rothst. adn.

„Dehinc" Propertius adhibet sicut poetae et argent. latin. script. II 4, 6.

„Equidem" Propertius sicut poet. comici non addit primae personae II 31, 5: hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso (Leky p. 58). Saepius autem etsi viri docti apud comicos „equidem" confuderunt cum particula „quidem", tamen nonnulli loci restant ap. comicos. Lindsay p. 97.

heu: (Plaut., Ter., Verg., Apul.). Hand Turs. III 64—70; Leky p. 59. — Prop. I 1, 38; I 4, 22; II 5, 8; 20, 16; 29, 30; 24, 36; IV 1, 40; 94; 10, 27.

„Forsitan" Cicero semper cum coniunctivo coniungit; nonnulli autem scriptores pro adverbio habent et indicativum ei addunt, ut Livius, saepe Curtius recentioresque. Antibarb. I[6] 550; Hand Turs. II 715 (qui vulgari sermoni id attribuit). — Apud Propertium semper indicativus additus videtur: II 9, 22; II 15, 54; III 20, 6: forsitan terit. (terit: DVf; terat: NFv; creat: L); — certe de hoc loco dubitari potest; sed cf.: III 23, 11: forsitan haec illis fuerant mandata . . . (fuerint: N; fuerant: omnes ceteri).

„Postmodo": pro adverbio „postea" est apud Cic. fam. X 33, 1 (Asin. Pollio) et Livium; Opitz, quo sermone ei, qui ad Cic. litt. ded., usi sint. p. 19; Hand Turs. IV p. 509 exempla profert e Terentio, (Livio), Ovidio. — Prop. II 10, 8: sentiat illa tuas postmodo capta manus. IV 5, 32: postmodo mercata pace premendus erit.

De particulis: „o, a, atque, modo, nam, namque, nunc, saepe, semper, sic, tamen" disputavit Kuttner, de Prop. eloc. quaest., Berl. 1878, p. 50—70.

VI. De proprietatibus quibusdam sententiarum structurae.

a) De collocatione verborum.

Pauca hac parte commentationis afferam, quia multa iam attulerunt Rothstein, Wagner (ut p. 39 de colloc. attributi), Hertzberg (I 121). Interdum artificioso quodam modo attributum ab initio, substantivum in fine versus scribitur, ut: IV 4, 14: bellicus ex illo fonte bibebat equus; 4, 74; 5, 12; 20; 78; 6, 72; 7, 18; 24; 28; 48; 81; I 2, 28; 3, 4; 15; 18; 33; 4, 4; 6; 23; 10, 28; 11, 6; 12; II 1, 16; 57; 66; 2, 12; 14; 3, 24; 4, 26; 6, 16; 8, 36; 9, 6; 50; III 1, 3; 3, 5; 33; 45; 48; 5, 10; 6, 6. Saepissime adhibet eum ordinem Catullus, rarissime prisci, sed media inter utrosque via ingreditur Vergilius. Norden Aen. VI p. 382. Contra autem rarissime invenitur is ordo, quo subiectum in initio, attributum in fine collocatur (Norden). — Prop. IV 5, 36.

Persaepe Propertius pron. relat. non ab initio sententiae collocat, qui usus observatus est apud Plaut., Lucr., Varronem, interdum ap. Cic., Verg., Liv., Plin., Apul. E Propertio multos locos attulit Wagner p. 41. Ac saepissime pronomen collocat altero loco, ut I 1, 19; 14, 6; II 15, 8 etc. — certe hoc interdum praefert propter metrum; sed interdum eodem iure primo loco pron. ponere potuit, ut: IV 9, 37. Tertio loco collocat pronomen: III 7, 42; 9, 2; 1, 21; 18, 31; 19, 11; IV 5, 40; 7, 81; quarto: III 4, 20; 18, 1; IV 6, 66; 9, 33; quinto: II 29, 28.

Eadem ratio in pronomine interrogativo cognoscitur; de comic. usu v. Dtz.-Haul. ad Phorm. 261;[1]) Leky p. 68. — Prop. II 23, 8: Muneris ecquid habes? II 6, 25; 13, 58; 16, 30; III 15, 22; III 16, 19: sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis? IV 11, 65: in me mutatum quid nisi fata velis? IV 2, 24: meque virum sumpta quis neget esse toga?

Praeterea „cum“ coniunctioni vocabula praemittit, quamquam in sententia obliqua novum inest subiectum; atque altero loco ponit „cum“: I 3, 9: talis visa Cynthia, ebria cum traherem vestigia. III 9, 41 etc. —

---

[1]) „Der unterordnenden Konjunktion, dem Relativ- und Interrogativpronomen werden in der Umgangssprache oft Teile des Satzes vorausgeschickt, welche gerade durch Wichtigkeit sich dem Sinne des Sprechenden zunächst aufdrängen. Mit mehr als zwei Satzgliedern geschieht dies nur ausnahmsweise.

tertio loco: IV 1, 129; — quarto loco: III 21, 19: deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo sedarit placida vela phaselus aqua.

Eadem ratio in aliis coniunctionibus perspicua est, velut: Ut: III 7, 54: Paetus ut occideret, tot coiere mala; II 23, 9; IV 1, 136. II 23, 8: deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama labores Herculis, ut scribat; I 15, 24: tu quoque uti fieres... — Ne: II 3, 26: haec tibi ne matrem forte dedisse putes. — Cur: III 5, 32: perdiscere, purpureus pluvias cur bibit arcus aquas. 36: Pleiadum spisso cur coit igne chorus. — „Ubi“: altero loco ponitur: II 19, 14; IV 7, 60; 8, 26.

Sed transeamus ad sententiae partium collocationem; ac Propertius, si duae sententiae coordinatione inter se conexae sunt, subiectum ponit in sententia secunda: I 1, 4: tum mihi constantis deiecit lumina fastus et caput impositis pressit Amor pedibus. I 5, 11: non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos; cf. Hor. c. I 9, 16 et adn. Kießl.... Aut in hypotaxi subiectum addit sententiae secundariae sequenti, ut: II 13, 25: sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli. I 10, 25. II 33, 4. Saepius autem in hypotaxi, si sententia secundaria autecedit, subiectum sententiae primariae sequenti addit, quod in illa sententia praemissa iam exspectatur. III 20, 23: et quibus imposuit, solvit mox vincla libido. I 2, 26; III 21, 8.

Iam vero frequentissime similem verbi usum habet Propertius, ut: II 18, 33: cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus (28, 32: et deus et durus vertitur ipse dies). II 16, 33: cum me nec cura theatri nec tetigit Campe; II 5, 23; 18, 34. III 7, 9; I 8, 7: tu fulcire, tu potes ferre. I 16, 23: me mediae noctes, me sidera plena iacentem, frigidaque me dolet aura. I 5, 11; 18, 27; II 24, 11 sequ.; IV 4, 36; 11, 11; III 9, 23: cum tibi Romano dominas in honore securis et liceat medio ponere iura foro...; I 9, 31; 4, 5. — Ita in disiunctivis quoque sententiis praedicatum alteri parti additur, ut: I 6, 31: at tu seu seu... qua..., seu qua..., seu pedibus terras seu pontum carpere remis ibis...; II 1, 27: nam quotiens Mutinam aut civilia busta aut canerem... bella; II 34, 83. II 25, 45; 34, 13; II 34, 78: tu canis, quo seges in campo, quo viret uva iugo. II 16, 46; IV 10, 19. II 9, 31: sed vobis facile est verba et componere fraudes. 24, 49; III 8, 24. II 32, 3: nam quid Praenesti dubias sortis, quid petis... moenia? I 8, 39: hanc ego non auro, non Indis flectere conchis, sed potui — obsequio. Neque omittere volo hanc verbi collocationem: I 6, 29: non sum laudi, non natus idoneus armis.

Congruenter cum sermone familiari Propertius per attractionem subiectum sententiae secundariae obiecti loco transponit in sententiam primariam. — Prop. II 34, 55: aspice me..., ut regnem mixtas inter puellas. Quocum loco equidem comparo: III 19, 17: nam quid Medeae referam, quo tempore matris... iram... piavit? (cf. etiam: I 1, 23: tunc ego crediderim vobis . . . posse ducere . . .) cf. Schmalz p. 470, 51; Lindsay p. 6; Leky p. 68; Lindskog, quaest. de parat.

et hypot. p. 75; Dtz.-Haul. ad Phorm. v. 354; Holtze II 222; Dietze, de sermone Catoniano, Lips. 1870, p. 35.

b) De variatione et ubertate orationis.

Certe id alienum est ab eleganti dictione, quod apud Propertium tanta varietas sententiarum structurae invenitur. Atque eidem verbo addit:

α) et nomen pro obiecto et infinitivum aut acc. c. infin., ut: III 4, 1: arma deus Caesar... medidatur... et... findere. II 24, 11; I 8, 35; IV 9, 39. — Nomen et infin. subiecti locum tenent: III 12, 24: non illi nocuere morae, et mons, exustaeque genae, et fraudes... Lampeties Ithacis veribus mugisse iuvencos. I 20, 14; II 28, 6; 34, 27; III 13, 27; 18, 11; I 1, 19.

β) Interdum eidem verbo et nomen obiecti loco et sententiam interrogativam obliquam addit, velut: I 5, 21: nec iam pallorem mirabere aut cur sim nullus ego. II 12, 23; 27, 1; 30, 28; 34, 67.

γ) acc. c. inf. et acc. c. part. structurae coniunguntur: I 10, 5: cum te morientem vidimus et ducere verba; IV 2, 53; cf. p. 54.

δ) nomen et participium coniunguntur: III 9, 47: arma canam caeloque minantem Coeum. id. v. 49.

ε) infin. et sentent. interr. obl. addit eidem verbo: II 34, 51: nulla solet rationem quaerere mundi nec cur... nec si. Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 21.

ζ) infin. et sententia relativa eidem verbo adhaerent: I 13, 15: vidi ego te languescere et flere et cupere deponere et quae celat pudor...

η) sententia relativa et condicionalis coniunguntur. v. supra p. 76.

ϑ) substantivum et sententia coniunctionalis easdem partes tenent, ut II 27, 9: flemus (7)... praeterea (timemus) flammam..., neu subeant pocula. II 13. 9: non sum formae mirator, nec si qua femina iactat avos. IV 1, 103; II 3, 14.

ι) aut denique illa genera vario modo coniuncta sunt, ut: part. — acc. c. inf. — obi. — acc. c. inf.: III 1, 25: nam quis pulsas nosceret arces fluminaque comminus isse, Idaeum Simoenta, Hectora maculasse? similiter: II 1, 27; II 1, 31; 8, 31; III 3, 7: 2 nomina — acc. c. part. — 2 nom. — acc. c. part. perf., — acc. c. part. praes. — acc. c. inf. Iam vero uno loco coniungit: nomen — part. — interrog. indir. — nomen — nomen — acc. c. inf. — nomen — nomen; II 1, 19.

Saepius apud Propertium et indicativus et coniunctivus pendent ab eadem coniunctione; de quo genere dicendi supra p. 59; 74; 76; 78, 7; 82 disputavi. Nec minus mutat verborum tempora, qui usus abhorret ab optimorum scriptorum dictione saepiusque invenitur apud comicos. cf. Leky p. 71; Schmalz p. 488, 4.

Blase p. 162.[1]) Ac Propertius coniungit: praesens et perf., ut IV 6, 61 prosequitur cantu Triton, omnesque marinae plauserunt. III 22, 27; 29; IV 1, 77; II 5, 21; 30, 3; I 10, 21. Imperfect. et perfectum coniunguntur, III 13, 34; IV 1, 5. Imperf. et praesens. III 3, 27. De variatione „plusquamperf. — perf." v. supra p. 63; cf. II 22, 25; — imperf. — plusqu. ibidem; — fut. I — fut. II p. 64. cf. praeterea p. 60 de imperativo.

Huc spectat anacoluthon illud, quod saepe invenitur apud Propertium sicut apud alios scriptores neglegenter scribentes. Apud Ciceronem quidem saepius invenitur in epp. (ut fam. I 7, 4; Att. VII 3, 2); saepius quoque occurrit apud Varronem, Celsum, Livium, Statium, interdum apud Lucretium, Horatium, Vergilium. cf. Schmalz p. 471; de anacoluthi natura v. Ziemer p. 52. Ax, de anac. Plautin. Terent. diss. Monast. 1908. Ex multis illis locis Propertianis affero: I 20, 7 (cf. Rothst. adn.); II 23, 15; III 8, 11; III 18, 5—9; IV 8, 4—15. Cum II 23, 21: „at tu ... faciamus" cf. similes Plauti locos ap. Lindsayeum p. 5. Huc certe illi quoque loci referendi sunt, ubi poetae pro subiecto, quod re quadam significavit, postea aliud subiectum personale animo obversatur, ut: I 20, 17: namque ferunt ... Argon ... isse, et iam ... labentem scopulis (Argonautas) applicuisse ratem. II 25, 17. Denique huc afferre licet illud anantapodoton, quod vocatur; e Propertio profero. II 13, 9: non ego tantum ... nec siqua ...; II 22, 29: tum me vel... et me...; II 22, 43 (cf. Rothstein). II 1, 5; 20, 34; 24, 37 (cf. Rothst.). III 21, 25. Ax, de anac. Plaut. Ter. p. 37.

Haud raro permutatione quadam Propertius in eadem sententia numerum pluralem iuxta numerum singularem eiusdem personae scribit; is usus certe praecipue poetarum sermonis proprius est. Draeger I² 25 § 19. — Prop. II 8, 19: exagitet nostros Manis..., calcet et ossa mea; II 24, 21. cf. Hertzberg I 121.

Nunc iam transgrediamur ad pleonasmum, de cuius natura sermonis familiaris propria disputat Ziemer p. 45. De Properti studio synonyma coniungendi p. 74; in appositione talis usus invenitur: IV 10, 15; II 9, 13; I 22, 3; III 13, 2; cf. praeterea I 16, 24: frigidaque eoo me dolet aura gelu. (et Rothst. adn., qui complures locos affert). De sermonis familiaris usu v. Schmalz p. 480, 61; Leky p. 68. — Interdum etiam geminatione utitur Propertius, quae in sermone familiari et apud poetas invenitur. Notanda profero: II 3, 27: non non; cf. Apul. Met. 7, 3; II 16, 35: at pudeat certe, pudeat! (I 1, 29; ferte..., et ferte ...) II 34, 41: desine componere, desine...; IV 9, 53: parce..., lucoque abscede verendo cede agedum et... IV 9, 16: ite boves..., ite.... I 20, 22: ibat Hylas, ibat Hamadryasin; II 30, 7: instat Amor caput, instat ... et (II 1, 28: aut canerem ... aut canerem); IV 4, 37: ille equus, ille ... reponet; II 34, 17: lecto te solum, lecto te deprecor uno. III 20, 5: tu stulta deos, tu fingis inania verba (cf. II 20, 15 ossa...

---

[1]) Saepius talis varietas metri causa adhibetur a poetis. cf. Norden Aen. VI adn. v. 3 p. 113. Bednara p. 90. — Prop. scribit: „prōsĕquĭtur, non prōsĕcūtus...

et ossa ...); IV 9, 71: Sancte pater..., Sancte. — Praeterea saepe Propertius appositione idem nomen repetit, ut: II 1, 51: sunt tangenda pocula Phaedrae, pocula... non nocitura; I 3, 25; 31; II 7, 17; 26, 46; 34, 85; IV 1, 47; 64. — Nomini repetito pronomen „ille" addit: II 7, 11: caneret tibi tibia somnos, tibia funesta tristior illa tuba. II 28, 25; IV 1, 125. — Iam vero totam sententiam repetit pleonastice: II 24, 36: eheu tu mihi certus eras, certus eras eheu ...; II 8, 28: quamvis mors est inhonesta, mors inhonesta quidem, tu moriere tamen. II 18, 29: mihi certe poteris formosa videri; mi formosa satis, ...; II 23, 23: libertas quoniam nulli iam restat amanti; nullus liber erit, siquis amare volet. — De eo deterioris dictionis scriptorum more v. Schmalz p. 488, 72; Ziemer (de Plauti usu) p. 46.

Praeterea dictionis abundantia in eo perspicua est, quod interdum Propertius eadem nomina et easdem dictiones in sententiis coordinatis repetit, sicut: II 26, 34: prora cubile mihi seu mihi puppis erit. II 27, 9; II 24, 1: tu loqueris, cum sit fabula... et sit Cynthia...; I 8, 5: tune audire potes... et iacere potes? II 25, 11: nonne fuit satius servire... et satius fuit ...; II 10, 1: sed tempus lustrare..., et... dare tempus.

Pronomen possessivum Propertius saepissime ut Nepos, Vitruvius, Velleius recentioresque per abundantiam nominibus addit, ut: I 1, 1; 2, 27; 4, 23; 5, 25; 7, 25; 10, 4; 13, 32; cf. Schmalz p. 481, 63, 1; Rothstein adn. I 5, 25. cf. Koehler, de auct. belli Afr. et Hisp. latin. p. 417; v. Guericke, de linguae vulg. rel. ap. Petr. et in inscript. pariet. Pomp. p. 53; Kretschmann, de latinitate L. Apulei; diss. Regim. 1865, p. 88.

Saepius in vulgari sermone scribitur verbum „coepisse" sine iusta causa de actione coepta. cf. Blase p. 311. E Propertio adfero: IV 11, 72: hic primus coepit moenibus esse dies; IV 11, 78: tota domus coepit nunc onus esse tuum. cf. Planc. ap. Cic. fam. X 17, 2; Koehler, de auct. b. Afr. p. 87/88.

Praeterea est sermonis familiaris verbis abundanter addere adverbium. Schmalz p. 482, 65; Leky p. 70. — Prop. II 18, 12: iterum redire; II 33, 1: redeunt iterum (cf. Petr. 63: redimus iterum). IV 8, 85: iterum mutare. I 18, 5: unde primum repetam. Similis abundantia est his locis: IV 4, 74: primus coepit; I 13, 7: pallescere incipis; I 13, 19: fixus haerebam. II 18, 5: canis aetas canesceret annis; III 6, 23: gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Praeterea adiectivo abundanter addit adverbium: I 5, 29: pariter socio amore; 16, 26: tacitis mutua cardinibus. — Ex aliis abundanter dictis profero haec: I 5, 15: tremulus horror; III 6, 7: ab origine prima; I 4, 23: et quicumque sacer, qualis ubique, lapis; III 13, 44: quaevis una; II 28, 45: sedebit narrabitque sedens.

Denique coniunctionis vim auget Propertius adverbio: II 25, 25: aut prius deposcit praemia, septima quam metam triverit ante rota? II 9, 23: prius ante; I 15, 29: multa prius: labentur et duxerit ante; II 4, 6: dehinc post haec.

c) De breviloquentia:

Totam denique commentationem ut absolvam nonnulla dicam de breviloquentia Properti. Atque primum quidem paucis tangam verbis illam Properti consuetudinem haud ita alienam ab ellipsi, qua e verbo antecedenti postea verbum similis generis supplendum est. I 20, 9: sive spatiabere litoris ora, sive ubicumque vago fluminis hospitio (iacebis). cf. Rothst. adn. — II 27, 7; II 31, 13; III 1, 11; 3, 28; 7, 47; IV 8, 75. — Saepius e verbo negativo infra verbum positivum supplendum est, ut: I 2, 29: nec desit ... (et adsint), omnia, quaeque ...; cf. Rothstein; I 4, 23; 16, 7; 11; II 3, 11; IV 1, 17; 11, 50. II 33, 35. — Insolentius autem e verbo affirmativo postea negativum supplendum est loco I 9, 32 (cf. Rothst. adn.).

Ut comici orationem contrahunt eo, quod adverbia ipsius loci addunt significationi, ita Propertius scribit: I 19, 7: illic caecis locis; I 20, 23: hic sub vertice; IV 7, 85: hic terra; II 8, 22: hac ante pedes; — quibus adiungo hos locos: II 16, 32: sic de nihilo; III 6, 9: sic incomptis capillis. Similem usum habent comici; cf. Holtze I 70c; Brix ad Capt. 330; Leky p. 71.

Eandem fere orationis impeditae et coartatae speciem efficiunt pronomina coniuncta „hic, ille". Schmalz p. 491, 79; Leky l. s. — Prop. II 1, 67: idem ille (II 32, 45: haec eadem; III 6, 36: hac eadem; II 8, 26: hoc eodem).

Praeterea pertinent ad breviloquentiam hi loci: II 8, 23: et sua cum (ossibus) miserae permiscuit ossa puellae (similiter ex oratione directa sequente obi. „ossa" supplendum est II 24, 35); cf. II 25, 41; II 26, 25; II 34, 29; IV 4, 73.

De figura: *„ἀπὸ κοινοῦ"* v. Rothstein II p. 360; Schmalz p. 493, 84.

Atque ad postremum pauca addo de illis locis, quibus obiectum verbo additur pro praepositione cum substantivo coniuncta, qui usus imprimis in sermone familiari invenitur. Schmalz p. 492, 80. Idem observandus est apud Propertium his fere locis: IV 8, 58: Teia clamat aquas. II 10, 4: Romana dicere castra; IV 11, 30: Afra Numantinos regna loquuntur avos; II 28, 46: narrabit longa pericla; III 9, 39: referam Scaeas et Pergama; IV 9, 13: furem sonuere iuvenci. cf. Stinner, de eo, quo Cicero in epp. usus est, sermone. III Oppeln 1864 p. 3. fam. IX 15, 3; 16, 7 (Süpfle-Böckel adn.). Att. IX 13, 1; Plaut. Men. 402; Ter. Andr. 398; 777; et Spengeli adn.

Index rerum et vocabulorum.

Typis Roberti Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Guilelmus Uhlmann die VIII. mensis Jun. a. MDCCCLXXXV Hirutfeldiae in vico Guestfaliae patre Henrico matre Maria e gente Moellenhoff, quos superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis in schola publica Susati oppidi imbutus, quo parentes me puero duorum annorum se contulerant, Archigymnasium Susatense adii anno proximi saeculi LXXXXVI. Deinde maturitatis testimonium assecutus vere anni MCMV studiis philologicis me dedidi. Ac primum Friburgum Brisgavorum migravi, ubi per duo semestria versatus sum; inde a vere anni sequentis per bis sex menses Monasterii versatus vere anni MCMVII Berolinum me contuli, unde ab autumno eiusdem anni redii Monasterium. Monasterii ut per duo semestria seminarii sodalis essem Kroll, Radermacher, Sonnenburg benigne mihi permiserunt.

Docuerunt me viri doctissimi Friburgenses: Diehl, Fabricius, Lommatzsch, Reckendorf, Schmalz, Schmidt, Uebinger, Wahl, Wolf; Berolinenses: Diels, Helm, Keculé v. Stradonitz, E. Meyer, Norden, H. Schmidt, W. Schultze, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorf; Monasterienses: Busse, Cauer, Ehrenberg, Erler, Geyser, Hitze, Hosius, Koch, Koepp, Kroll, Mausbach, Meinardus, Meister, Meumann, Niehues, Radermacher, Schwering, Seeck, Sonnenburg, Spannagel, Spicker, Streitberg, Tobler.

Omnibus qui me docuerunt quantum debeam non obliviscar, in primis vero Krollio, Radermachero, Sonnenburgio gratias ago quam maximas. Atque ad postremum grato animo profiteor hanc dissertationem summa liberalitate suasisse atque aluisse Sonnenburgium, magistrum de me optime meritum, benigneque me adiuvisse Schmalzium.
